
VITT. EMANUELE



14-2·B·24

Digitized by Google

Ad usum fr̃is Laurentij
Ranerij à Consentia
Romę:
ann. Studij
1659



To. 1. 5.



Digitized by Google

F. HIERONYMI TRIMARCHI MESSANENSIS SICULI


MINIMORUM ORDINIS
S. Francisci à Paula,

Sacræ Theologiæ Lectoris Iubilati, & Iuris Pontificij Professoris &c.

Summulæ, seu Introductiones ad Logicam

Iuxta Aristotelis, & S. Thomæ Aquinatis germanum sensum.

Ad Reuerendissimum Genuense Collegium Iesu Mariæ eiusdem Ordinis consecratæ.





GENVÆ,
Ex Typographia Petri Ioannis Calenzani, & Ioannis Mariç Farroni soc. 1636.
Superiorum permissu.

Digitized by Google





Digitized by Google



Reuerendissimo, ac Religiosissimo

ORDINIS MINIMORVM S. FRANCISCI A PAVLA

Genuensi Collegio Iesu Mariæ.

Fr. Hieronymus Trimarchi eiusdem Ordinis Minimus S. P. D.







PLVRA sunt, *Religiosissimi Patres*, quæ studium erga vos meum, noctu excitant, diuque sollicitant, & perantiqua Domus vestræ incunabula cum ipsius Ordinis nostri nascentis ętate me in primis rapiunt; & Institutoris non minus nobilitas, quàm sanctitas perillustris, me quasi noua quædam Milciadis trophæa dormire non sinũt: animo itaque reuoluebam meo, & quasi memoriam recolens superiorem, venerandam Col-

legij vestri inuenio ab ipsomet Patre nostro Sanctissimo Francisco susceptam Prouinciam; & Adorni olim Pauli II. Camerarij opera in Montis sani apice domus istius iacta, alea quidē, vt ita dicam, auspicatissima fundamenta. Adornus quippe ille est, qui ad explorandam Patris Nostri Francisci sanctitatem à felice Pauli II. recordatione missus in Calabriam fuerat, qui vbi illud prunis candentibus, non aliter ac rosis plenas Francisci manus tam insigne coram se vidisset perpetratum miraculum, sanctitatem probauit, & vitæ rationem pariter à Deo Ecclesiæ, ac toti Orbi christiano inspiratam splendidè agnouit. Qui à tanto cum viro discedere sibi nec vtile duceret, nec beatum, ipsum ad Ludouicum XI. Francorum Regem iussu Sixti IV. Pontificis Maximi in Galliam comitatus, & diuini amoris flamma quotidie magis incensus ab eodem Patre nostro initiatus, instituti nō solùm approbator, & inspector nostri, sed etiam sectator, & alumnus efficitur; mox venerando senio Patriam suam repetēs Genuam ex Patris nostri nutu Vrbem hanc vestram nostri generis nomine, & familia locupleti illustrauit. Omitto quot ex prima Senatus nobilitate familiæ nostræ, vestræque domui militarunt. In primis Iacobus à Genua, qui ad Hispanos veniens, ab his rogatus domus fundare, Templa erigere, alumnos admittere, Ordinis nostri tanto omine cœpit felici,

quanto

quanto vſque ad hodiernam diem admirantur Hiſpani prouentu; iſque in primo Ordinis noſtri Capitulo Generalis Vicarius creatus deſiderata ſui omnibus reliquit veſtigia. Occurreret, ni longum, ac tædioſum faciam ſermonem, ſi vultis,& Hieronymus à Ponte Italiæ Vigil, & miraculum morum religioſorum; Occurreret & etiam Iacobus à Ponte alterum vitæ noſtræ lumen virtutis,& Ordinis noſtri Zeloſus II. cui officio paterno in veſtrum Collegium affectu renunciauit; Occurrerent quoque Hugo à Ponte in primo religionis ortu Genuæ Prouincialis,ac generalatu Patrum calculo dignatus: Ioannes à Genua vir ſanctus, & doctus, ad cuius primò vouentis exemplum abſtinentiam quadrageſimalẽ cæteri vouere;necnon et Hieronymus Garibaldus Vir angelicis virtutibus præditus: Iacobus Morandus non ſemel Prouincialis, atque Hiſpaniæ Viſitator Generalis; Baptiſta Neretus, & Iacobus Ventura charitate inſignes; Franciſcus Cecardus animi demiſſione ſublimis; Ioannes alter à Genua Deiparæ amantiſſimus piè obijt; Franciſcus à Genua B. M. V. cultor eximius, cui in agone lampas ſinè oleo per horas 24. illuxit; Albertus Berutus Vir admirandæ abſtinentiæ: Occurreret Gabriel Cicala,qui potens opere, & ſermone à Sanctiſſimo Papa Noſtro Paulo V. electus, vt legatione apud Ducem Vrbinatem fungeretur; reque feliciter peracta,

Genuam non minus, quàm totam Ordinis nostri familiam decorabat. Occurerent Ioannes Thomas, & Angelus Maria Strata Germani Fratres dono puritatis perillustres, & virtutum fulgore præclari; quorum mater B. Victoria plura Virginum in Italia, Flandria, & Gallia pariter domus excitauit, ac erexit. Occurrerent Deodatus Lomellinus ter Genuæ Prouincialis, totius Ordinis nostri Zelosus XXXV. & Italiæ Generalis Vicarius Apostolicus: sexcentaque Vrbis, ac sanguinis vestri lumina fulgentissima, quæ, cum suomet splendore coruscent, mea sanè non indigent ad posterorum memoriam, nec solertia, nec historia. Vtinam, *Patres Religiosissimi*, mihi liceret ex tumulis excitare quotquot Ordinis nostri ex Genuensibus familijs sunt sequutę vexilla, quot Concionatores resurgerent? quot Oratores reuiuiscerent? quot Magistri niterent? quot Prouinciales, Correctores, & alij in omni literarum genere, ac sanctitate vitæ forêt in hac nostra spectabiles tempestate? Venio nunc ad literarum in omni quidem genere, & eruditione apud hoc vestrum Collegium splendorem, tum assiduitate studentium, tum & frequentia, *Bone Deus*, quot ingenia præclaram nauarunt operam, quot Magistri, quot Philosophi, quot Theologi, quot Historici vestram hanc domum suo nomine celebrem reddiderunt. Admanum, vt ita dicam, quippe sunt in hanc diem

P. Ioan-

P. Ioannes Chrysostomus Malaspina Marchionis de Casanoua filius, cui hodie Prouincia vestra Genuensis est demandata: Laurentius de Peyrinis ter Genuæ Prouincialis morum grauitate, & liter is clarus; cuius dum eius septem monumenta librorum apud Regulares viuent, viuet profectò & religionis pietas, & morum integritas, & vitæ candor, & Collegij vestri nomen sempiternum: Repetite memoriam Raphaelis Pizzurni ob ingenij non sinè acumine promptitudinem: admiramini Franciscum Maria de Agrifolijs propter insignem rerum eruditionem: intuimini Gabrielem Pizzurnum cum suo germano fratre Sebastiano ob morum suauitatem: & Paulum Frãciscum de Nigro Illustrissimi vestræ Serenissimæ Reipublicæ nunc Senatoris Iacobi de Nigro filiũ propter vitæ candorem tenete, laudate, imitamini.

Quid quod me sæpe in admirationem reuocat, *Patres*, ea apud vos egregia Charitas erga omnes, non solùm conciues, sed etiam exteros. Nolo hoc loco commemorare quanti fecerint Patres Theatini nostrũ Patrem Gasparem Passarellum, qui singulis diebus festis apud ipsos cõcionem habebat magna populi acclamatione, & Theatinorum gratulatione. Prætereo octo Capitula generalia, quę apud vos celebrata sũt, vtpote domestica, & probè nota. Tandem vestræ domus moles magnifica, officinæ varietas,

& cellularum opportuna collectio, Bibliotechæ Collegij vestri locuples, ac opulenta celebritas, adeò omnes allicit, vt omnes erudiat, quali vos sitis, & studio pietatis affecti, & literarum splendore donati. Itaque inter omnes Ordinis nostri Prouincias, hęc vestra Genuensis est perillustris, vt quintum inter omnes vos locũ teneatis; post *inquam* Sanctissimam Paulæ domũ Patris Nostri, tum eius natiuitate, tum vita celebrem, post Messanæ Patriæ meæ nobilissimam sedem, post Thurs Galliæ, & post Parisinam magnificentiam, quintus vobis obtigit locus: Collegiũ istud, Patres, vestrum ob reliquiarum pretium, & Sãcti Patris nostri caputium, missale, & cũ sua theca perspicilia adeò gloriari potest, vt nu li Collegiorum secundum istud vestrum sit iure optimo enumerandum.

Hæc & multa quidem alia sunt, quæ initio dicebam, quæ me sæpe admonent in omnium vestrum studium, memoriam, beneuolentiam: cui pro nunc aliquo pacto satis me facturum ratus, si quæ ad Philosophiam introductorias lectiones de industria elaboratas à me ad communem studentium vsum, & animi mei erga Collegium istud monumẽtum vobis addicerem seruitute, & dicarem voluntate. Valete. Matriti Kalendis Iunij Anni Domini 1633.

Fa-

Facultas P. Prouincialis Prouinciæ Castellæ.

FR. *Franciscus Lumbreras Ordinis Minimorum S. Francisci à Paula Sacræ Theologiæ Professor Iubilatus, Supremi Senatus Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum Qualificator, ac Prouinciæ Castellæ Prouincialis.* Dilecto nobis in Christo R. P. Hieronymo Tymarchidi eiusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Lectori Iubilato &c. salutem.

C*VM ex literis nostri Reuerendissimi Patris Gener. F. Francisci à Lõgobardis cõcessa sit potestas Prouinciali huius Prouinciæ licentiam dandi religiosis nostri Ordinis, & huius Prouinciæ subditis, vt typis libros ab ipsis compositos, & elaboratos mandare queant. Ob id tenore præsentium tibi præfato Patri facultatem facimus, vt imprimere possis* Logicæ Introductiones *modò approbentur à R. P. Ildefonso Herrera nostro Collega, & in Complutensi Gymnasio Cathedratico, ac Studiorum Regente. Benedictio autem Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti te incolumem seruet. In quorum fidem &c. Dat. Matriti in nostro S. Mariæ de Victoria Cœnobio die 14. Iulij 1633.*

F. Franciscus Lumbreras Prouincialis.

Approbatio P. Ildefonsi de Herrera.

Docta, graui, & contextura mirabili, Summularum opus perfecit, Reuerendus, ac perdoctus Pater F. Hieronymus Trimarchi nostri Ordinis Minimorũ Sanctissimi Patris Frãcisci de Paula, in Prouincia Messanẽsi olim Arbitrer, necnon studentium Rex. Opus omnibus numeris absolutum semel, & iterum oculis, & mente lustraui ex mandato Reuerendi Adm. P. F. Francisci Lumbreras à Supremis Qualificationibus meritissimi, & Prouinciæ Castellæ dignissimi moderatoris. Illud dignum iudico, vt in lucem ederetur, & ad commune bonum typis mandaretur. Datum Matriti in Victoriano Minimorum Conuentu hac die 27. mensis Iulij Anno Christianæ salutis 1633.

F. Ildefonsus de Herrera.

Facultas Reuerendiss. P. Inquisitoris Genuensis.

Videant Admod. RR. PP. Laurentius de Peyrinis Ordinis Minimorum, & Ioannes Maria Camulius è Societate Iesu.

F. Vincentius Pretus Inquisitor Genuæ.

Approbationes.

IVssu Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Prati Ianuen. Inquisitoris vidi Summulas, seu introductionem ad Logicam ab Adm. R. P. F. Hieronymo Trimarchi ex Ordine Minimorum S. Francisci de Paula conscriptam: nihil in ea reperi, quod moribus, aut fidei repugnet, quin potius omnia accuratè, ac diligēter examinata, & explicata, vt maximo ad addiscendas disciplinas Tyronibus vsui esse possit. In quorum fidem &c. Genuæ in domo professa Soc. Iesu 14. Septemb. 1635.

Io. Maria Camulius è Soc. Iesu.

VIdi Ego infrascriptus Summulas conscriptas à R. A. P. F. Hieronymo Trimarchi nostri Ordinis Minimorū, & nihil in eis reperi, quod sit catholicæ Ecclesiæ, aut bonis moribus contrarium: sed in breui stylo Aristotelicam, & Thomisticam doctrinam facili methodo comprehensam: Ideo si imprimantur vtilissimas censeo Tyronibus: & in fide &c. Datum in Conuentu Iesu Mariæ die 15. Septembris 1635.

Fr. Laurentius de Peyrinis Ordinis Minimorū.

Imprimantur

Fr. Iustinianus de Callio L. T. Vicarius generalis S. Officij Genuæ.

Digitized by Google

Epigramma ad Auctorem.

O Decus, o Sophiæ lumẽ, Sophiæ, ignea lãpas,
Et gentilitij nobile stemma tui.

Pandis Aristotelẽ, radianteque schemate pingis,
Nobiliorque manu redditur illa tua.

Ebibis illius mentem, totasque recludens
Mentis opes, fis mens altera Aristotelis.

Eia age, ꝑ que orbẽ thesaurũ effunde Trimarchi,
Munere ditatus, quo Sophos omnis erit.

Nam tibi, qui legit, acclamat, dubitatq; legẽdo
An sis interpres, sis vel Aristoteles.

Alfonsus Aluarez è Societate Iesu.

Aliud ad Librum Auctoris.

PAllada si quæris, Famam si præpete gressu
Insequeris, præsens præbet vtramque liber.

Dictauit Pallas, scripsit quæ Fama; Trimarchi
Famam nempe manu, Pallada mente gerit.

F, Laurentius Maria Pallauicinus
Ordinis Minimorum.



SVMMVLÆ AD LOGICAM.



OMINE Summularum venit hic compendium eorum; quæ fusius discutiuntur in Logica; & quidem hoc compendium non est sinè aliqua necessitate; siquidem antequam ingrediuntur auditores graues illas controuersias, de quibus in tota Logica ne terrerentur, rudem, & breuem non sinè claritate cognitionem saltem terminorum haberent necessum erat; atque adeò non laudare non possum Magistros illos, qui talem vsum introduxerunt. In his itaque institutionibus Logicis, sicut & in reliquis Philosophicis tractatibus Doctorem habebimus S. Thomam Aquinatem, & in Philosophicis, & in Theologicis disciplinis vniuersalem magistrum; tum quia est totius Ecclesiæ decus, & ornamentum; tum quia est Christianæ fidei propugnator acerrimus, cuius sapientiæ riuulis Vniuersus terrarũ Orbis inundatus est; tũ quia eius doctrina præcæteris peripatetica censetur à doctis; tum quia, vt ait P. de Peyrinis noster tomo 1. Relig. quæst. 1. cap. 30. §. vnico Vers. *sed quibus libris* folio mihi 422. meliorē doctrinam quærentes Angelica (hoc est S. Thomæ) panem quærunt

me-

Digitized by Google

meliorem triticeo; Hæc ergo Logicæ introductio (ita vulgò vocantur hæ summulæ) in tres libros diuiditur, vt recta, & clara seruetur methodus.

LIBER PRIMVS.

De Terminorũ Logicę cognitione.

SVmmulistæ primo loco explicãt terminos, quibus vtũtur Logici, & meritò, nam sinè terminorũ cognitione auditores essent potius psittaci, quam scholastici Philosophi.

SECTIO PRIMA

Quæ, & quot sint operationes intellectus à Logica dirigendæ.

LOgica veluti circa propriam materiam versatur circa operationes cognoscitiuas humani intellectus: & ratio est, quia Logica dicitur habitus, & perfectio humani intellectus; vnde circa eiusdem intellectus solùm operationes versari potest. Item non circa omnes, at tantùm circa cognoscitiuas: & ratio est, quia operatio illa, quæ quatenùs productiua specierũ intelligibiliũ per Animasticos conceditur, & tribui solet intellectui agenti, eo quia non dicitur cognoscitiua, ad Logicam non pertinet.

Ad intelligentiam secundi quæsiti. Nota, quòd hic non spectantur operationes intellectus ratione obiectorum, quia ita tot sunt operationes, quot obiecta cognoscitiua; at tantùm spectantur ratione modi tendendi, scilicet ratione modi, quo intellectus vtitur ad quodlibet obiectum intelligendum, & cognoscendum, hoc notato.

Com-

Digitized by Google

Cōmuniter Logici docēt tres esse operationes intellectus cognoscitiuas, nec plures, nec pauciores; & meritò, nam tres solùm sunt modi tendendi, quibus intellectus respiçit obiecta: & quidem primus est per simplicem obiecti apprehensionem; E. g. cum humanus intellectus apprehendit aliquod, nil de illo affirmando, vel negando, at solùm illius naturam inspiciendo; & hic modus tendendi intellectus vocatur simplex apprehensio, & à Logicis dicitur prima intellectus operatio, nam à reliquis operationibus intellectus supponitur. Secundus est per iudicium, v. g. cum intellectus de obiecto cognito, & apprehenso aliquid affirmat, vel negat; & propterea à Logicis vocatur secunda operatio, quia sequitur immediatè post primam; vocatur etiam compositiua, vel diuisiua, & quidem vocatur cōpositiua, nam intellectus dum sic versatur circa obiectū cognoscendū ad hoc, vt aliquid ipsi obiecto concedat, & de ipso affirmet, dicitur aliquomodo componere obiectum cū re tali obiecto concessa, vel affirmata, v. g. homo est admiratiuus in hoc videtur intellectus quodammodo componere hominem cum admiratiuo. Vocatur autem diuisiua, nam dum intellectus aliquid de obiecto negat, dicitur per illam negationem facere quamdam diuisionē, seu separationem inter obiectum, & rem illam, quæ negatur, v. g. homo non est lapis, videtur in hac operatione intellectus diuidere esse lapidem ab homine.

Tertius tandem est per iudicium illatiuum, quando intellectus ex rebus iudicatis aliquid aliud deducit, & infert; & ideò vocatur à Logicis tertia operatio, quia supponit duas alias operationes; vocatur etiam iudicium illatiuum, nam dependentiam habet, & est illatum ex alio iudicio secundæ operationis: v. g. intellectus in primo tendendi modo apprehendit hominem, hoc est, animal rationale; in secundo autem iudicat hominem esse admiratiuum; in tertio tandem infert esse risibilem. Cæterùm

cum vltra hos tres modos tendendi alius non reperiatur, propterea meritò docent Logici tres, & nec plures, nec pauciores esse operationes cognoscitiuas intellectus, si ratione modi tendendi spectentur. In istis autem intellectus operationibus quoniam multoties reperiuntur errores, ideò Logica dat aliquas regulas, seu præcepta ad ipsas operationes singillatim acceptas pertinentia, medijs quibus illæ operationes absque errore fient.

SECTIO SECVNDA.
Quid sit terminus.

NOtitia terminorum non parum facit ad intellectus operationes dirigendas, & maximè primam, quia intellectus in prima operatione, aut apprehēdit simplices terminos, aut aliquid admodū simplicis termini; & quoniam terminorum notitia est reliquis magis vniuersalis, ideò primo loco de terminis agendum est.

Terminum itaque nonnulli ita definiunt. Est extremum propositionis, in qua verum, aut falsum enunciamus; quæ definitio eadem est, ac illa, quam affert Philosophus c. 1. lib. 1. prior. sub his verbis. Terminus est id, in quod resoluitur propositio tamquam in prædicatum, & in subiectum. pro intelligentia.

Nota, quòd subiectum, est illud, de quo aliquid affirmatur, vel negatur in propositione: prædicatum verò est illud, quod affirmatur, vel negatur; E. g. in hac propositione Petrus est Musicus; terminus ille Petrus est subiectum, siquidem de illo affirmatur alius terminus, scilicet Musicus. Prædicatum autem in exemplo allato est Musicus, siquidem affirmatur de Petro; Et idem dicendum videtur in propositione negatiua v. g. Petrus non est Musicus, nam Petrus dicitur esse subiectum; Musicus autem prędicatum. hoc notato.

Explicatur allata definitio, scilicet terminus est id, in quod resoluitur propositio tamquam in subiectum, & prędicatum, nam licèt aliquæ aliæ dictiones reperiantur in ipsa propositione, & maximè *verbum* quod est copula vniēs propositionis extrema, hoc est, subiectum, & prædicatum; nihilominus cæteræ dictiones non sunt termini, in quos resoluenda est propositio, nam aut sunt partes extra totum, aut sunt copula, seu vinculum nectens subiectum, & prædicatum, quale dicitur esse verbum; & sicut compositum dicitur resolubile in illas partes, ex quibus componitur, E.g. domus hæc dicitur composita ex lapidibus, calce, lignis &c. & in illa dicitur etiam resolubilis; non verò in horum omniū vnionem, nam dum resoluitur non remanet, at destruitur vnio: ita propositio est quasi quoddam compositum ex quibusdam terminis, in quos est resòluenda; non verò in vnionem, & copulam horum terminorum, nimirum in Verbum, quod copulat eiusdem propositionis subiectum, & prædicatum, quæ dicuntur extrema, & termini propositionis.

SECTIO TERTIA
Quotuplex sit terminus.

VAriæ sunt diuisiones termini. Et in primis terminus alius est categorematicus, alius syncategorematicus, & alius est mixtus. Primus est is, qui per se solitariè sumptus est significatiuus v.g. homo, Leo, lapis, &c

Secundus è contra se habet, quia separatim sumptus nihil determinatè significat, v. g. Omnis, Nullus, Aliquis &c. nihilominus significat alteri termino coniunctus, v.g. Omnis homo, nullus equus, &c. vnde à Calepino dicitur terminus consignificatiuus. Tertius tan-

dem participat vtriusque naturam; huius generis sunt aduerbia hæc *doctè*, *celeriter* &c. nam hi termini, vt constat, quamdam continent determinationem, at non penitus completam; nam si quis asserat *doctè* aliquomodo doctrinam significare videtur; & *celeriter* celeritatem, licèt non explicetur in quonam subiecto inueniatur doctrina vel celeritas, quia non explicatur vtrùm doctrina sit in scriptis, vtrùm in sermone; nec explicatur an celeritas sit in ambulatione, vel in sermone, aut in scriptione &c. vnde hæc, & alia huius generis aduerbia iure dicuntur termini mixti.

Item terminus categorematicus alius est absolutus, alius connotatiuus; primus est is, qui significare dicitur rem per se stantem, & non alteri adiacentem, v. g. homo, Equus, lapis, &c. Secundus est is, qui significare dicitur rem non per se stantem, at alteri quasi adiacentem, v. g. nigrum, luminosum &c. quia nigrum significare dicitur nigredinem non solitariam, & per se stantem, at alteri subiecto, v. g Coruo adiacentem: ità etiam luminosum significare dicitur lumen adiacens alteri subiecto, v. g. Cœlo, Soli, Stellæ &c. & propterea hæc nomina connotatiua à Logicis dicuntur significare formam, & connotare subiectum.

Rursus terminus connotatiuus subdiuiditur in concretum, & abstractum: primus est is, qui habere dicitur modum significandi compositum, v. g. homo, equus &c. nam homo significare habet humanitatem existentem in aliquo, & consequenter aliquam compositionem ex humanitate, & ex eo, in quo est humanitas. Vnde nota, quòd non exigitur ad terminum concretum, vt res, quæ per illum dicitur significari a parte rei, & re vera reperiatur composita; at sufficiet, quòd sit composita, aut in suo conceptu explicetur ad instar rei compositæ; & propterea hic terminus, Deus, licèt in se sit

sum-

summè simplex, & carens omni compositione, nihilominus dicitur concretus, nam solet concipi ad instar rei compositæ ex deitate, & ex eo in quo est deitas.

Secundus est is, qui dicitur habere modum simplicem significandi, v. g. humanitas, lumen, Angeleitas &c. nam significare habet formam veluti separatam, & præcisam à subiecto, in quo reperiebatur, atque adeò significare habent humanitatem præcisam ab homine, lumen à luminoso, Angeleitatem ab Angelo.

Preterea terminus diuidi etiam solet in denominatiuum, & denominantem: primus est illud nomen, quod ab alio habet originem, & dicitur deriuari, E. g. terminus hic, Musicus, dicitur denominatiuus, siquidem originem habet, & deriuatur à Musica; & pariter prudens à prudentia. Secundus est illud nomen, à quo aliud habet originem, & deriuatur, v. g. Musica, & prudentia sunt termini denominantes, siquidem ab his originem habent, & deriuantur termini denominatiui.

Vlterius terminus diuidi etiam solet in communem, & singularem: Primus dicitur is, qui habet significare rem multis competentem, v. g. Leo, Homo &c. nam Leo, & Homo nō vni solùm, at multis indiuiduis competunt. Secundus est ille, qui habet significare rem singularem, v. g. Petrus, Paulus, &c. pro vt accipiuntur ad determinatos homines significandos. Communis porrò terminus subdiuidi solet in transcendentalem, & prædicamentalem. Horum primus est is, qui per omnia prædicamenta vagatur, & de cunctis rebus prædicari potest; & huius generis termini sunt Ens, Vnum, Verum, Bonum, Aliquid, Res: siquidem hi termini de quouis dici, & affirmari queunt; quolibet enim est ens, vnum, verum, bonum, aliquid, & res. Secundus è cōtra se habet, hoc est, non vagatur per omnia prædicamenta, neque de omnibus rebus prædicari potest, sed

de vna tantùm, estque omnis alius terminus vltra sex dictos. Communis item terminus subdiuiditur in vniuocum, æquiuocum, & analogum: quorum primus est is, qui competit multis, quæ non tantùm in nomine, verùm quoque in re significata illo nomine penitus conuenientiam habent, v. g. homò, qui terminus habet significare cuncta humana indiuidua conuenientia non tantùm in nomine, verùm quoque in re significata, scilicet in natura humana. Secundus è contra se habet, hoc est, ille est, qui competit pluribus, quę in solo nomine conuenientiam habent; in re autem significata penitus differunt, v. g. hic terminus canis, in quo conuenientiam habent, & canis terrestris, & marinus, & cęlestis, si consideretur solùm nomen: siquidem in re significata illo nomine omnino discrepant, quia terrestris, marinus, & cęlestis diuersam penitus dicuntur habere naturam. Tertius tandem medius se habet inter vtrumque, siquidem res termino analogò significatæ conuenientiam habent in nomine; in re verò illo nomine significata partim conueniunt, & partim discrepant, v. g. hic terminus *sanum*, qui affirmatur de animali sano, in quo vera sanitas inuenitur, affirmatur etiam de medicina, quatenus dicitur effectiua sanitatis; item de pulsu, & colore, quatenus indicare habent sanitatem; itaque animal, medicina, pulsus, & color conueniunt in nomine, quatenus omnia dicuntur sana; at in re illo nomine significata partim conueniunt, partim discrepant, nam sanum non eadem ratione affirmatur de animali, ac de cæteris. Singularis verò terminus subdiuiditur in determinatum, collectiuum, vagum, & ex suppositione; quorum primus est is, qui de vno solùm indiuiduo affirmatur, v. g. Bucephalus, qui solùm affirmatur de Equo Alexandri. Secundus est is, qui multa coniunctim, & adinstar vnius habet significare v. g.

Ge-

Genua, Messana, Populus, Communitas &c. Tertius est is, qui non determinatè, sed vagè dicitur de indiuiduis, v. g. aliquis homo, quidam equus, &c. siquidem huiusmodi terminus aliquis homo de hoc, vel illo homine affirmari potest; siquidem vera est ista propositio, Petrus est aliquis homo, & hæc, Bucephalus est quidam Equus. Quartus tandem est is, qui vnum determinatè significat, quamuis de se dicatur aptus ad multa significanda, v. g. dum asseritur Filius Regis Hispaniarum (dato quòd Rex vnum solùm habeat filium) tunc huiusmodi terminus, suppositione data, sic vnum determinatum, & singulare indiuiduum significat, v. g. Serenissimum Baldassarem Carolum Austriæ, & Hispaniarum Principem, vt absolutè, & absque suppositione dicatur ille terminus aptus de alijs filijs Regis (dato quòd illos haberet) prædicari.

Tandem terminus quomodocumque acceptus diuiditur in terminum primæ intentionis, & in terminum secundæ intentionis. Primus est is, qui habet significare aliquid rem secundùm illud esse, quod eidem rei cōpetit sinè cognitione intellectus, v. g. homo, Leo, Cęlum &c. siquidem hi termini habent significare realem naturam, quam habent res illis nominibus significatę absque dependentia à cognitione intellectus. Secundus est is, qui significare habet rem secundùm illud esse quod habet media cognitione intellectiua, vt sunt prędicabilia, genus, scilicet, species, differentia, proprium, & accidens; & prædicamenta, substantia, nimirum, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi, situs, quando, & habere: nam dubium non est, quòd res, quę talibus terminis significatæ sunt, non habent nisi media intellectus operatione esse Genus, species &c.



SECTIO QVARTA
De Nomine.

PHilosophus lib. 1. Perhyerm. c. 2. definit nomen ita, Est vox significatiua ad placitum sinè tempore, cuius nulla pars seorsim accepta est significatiua: quæ definitio sic declaratur; dicitur 1. *vox* ad excludendos sonos, qui non videntur voces, siquidem vox non dicitur quiuis sonus: at, vt habet idem Philosophus tex. 90. lib. 2. de anima, dicitur sonus dearticulatus ab ore animalis prolatus cum imagine significandi internos animi affectus. Secundò dicitur *significatiua* vt excludantur aliquæ voces etiam humanæ, quæ, quamuis dicantur dearticulatæ, nihilominus determinatè nihil habent significare, v. g. bif. baf. buf. tif. taf. Tertiò dicitur *ad placitum* ad reijcienda signa naturalia, quæ non ex instituto, nimirum ex libertate humana, at naturaliter significant aliquid determinatum, v. g. gemitus, suspiria, risus, &c. Quartò dicitur *sinè tempore* ad hoc vt nomen seiungatur à verbo & participio, quæ cum tempore significant, nam si quis asserat, Deus, Angelus, homo, &c. nullum significatur tempus. Tandem dicitur *cuius nulla pars seorsim accepta est significatiua*. E. g. hoc nomen *Dominus* significat illum hominem, qui seruum habet; si autem partes talis nominis adinuicem separentur, nunquam significare habebunt id, quod antea, prout vnitæ indicabant, siquidem syllabę hę, do, mi, nus, non indicant illum hominem, qui dicitur habere seruum.

Obijcies primò dicitur Genesis secundo cuncta animantia fuisse ab Adam vocata proprijs nominibus, igitur

igitur nomen non significat ad placitum, at ex natura ipsarum rerum, quæ nominantur. Respondetur, quòd Adam priusquam imponeret nomina animantibus, habuit à Deo infusum idioma, quod communiter dicitur fuisse hebraicum; cuius nomina ex Dei instituto hoc, vel illud determinatè significabant; propterea quando deinde Deus adduxit animantia ante Adam, vt illis nomen imponeret; considerauit Adamus animantium naturas, ac proprietates, & iuxta illas singulis animantibus nomina dedit; & hæc nomina, si absolutè spectentur, non potius ad hoc, quàm illud significandum apta erant: & post Dei institutum nomina habuerunt hoc, vel illud determinatè significare; vnde nihil valet consequentia.

Obijcies secundò, hoc nomen Annus, vel mensis indicat tempus; item hæc alia, prandium, cœna indicant commestionem indeterminato tempore factam, igitur verum non est, quòd nomen non significat cum tempore. Respondetur, quòd aliud est significare tempus, & aliud significare cũ tempore; vnde primum nomini potest competere; nõ verò secundum: atque adeò allata nomina in argumento, quamuis tempus indicent, tamẽ non indicant tempus cum aliqua differentia, nimirum præsens, præteritum, vel futurum; quod spectat ad rationem verbi habentis significare actionem aliquam in quodam temporis discrimine factam, nam si quis asserat, Petrus ambulat, indicat actionem ambulationis in differentia temporis præsentis exercitam: si autem quis asserat, Petrus ambulauit, vel ambulabit, indicat eamdem actionem in differentia temporis præteriti, vel futuri.

Obijcies tertiò, nomen compositum habet partes, quæ seorsim acceptæ significare habeat illud, quod prius vnitæ indicabant, vt constat in hoc nomine

Respublica, itaque falsum est partes nominis separatas non significare. Respondetur, quòd nominis compositi partes si seiungerentur secundùm apparentiam, hoc est, secundùm vocis materialitatem idem significant, quod prius; non verò secundùm rei veritatem, vt habet Philosophus l. c. post allatam nominis definitionem: & ratio est, quia illæ partes copulantur ad indiuisibiliter significandū aliquod vnum; quarum significatio sic competit toti, seu partibus ipsis simul acceptis, & vnitis, vt non competat singulis; & ideò dum diuiduntur, indiuisibile illud, & commune significatum deperdunt, quod vnitæ indicabant, aliud accipientes significatum; & sic in hoc nomine *Respublica* partes vnitæ indiuisibiliter significare habent aliquam vnionem hominum; at segregatæ, & diuisæ aliam habent significationem, siquidem *res* indicabit quoduis negotium: & *publica* commune aliquod, & ita, vt patet; partes nominis compositi segregatæ solùm apparenter, & non in rei veritate idem habent significatum.

Hinc habes. 1. quod meritò reijcit Aristoteles ab hac nominis definitione nomina infinita V. g. non Leo; Non lapis: infinitum autem nomen est illud, quod affirmari potest, & de illis, quæ sunt, & de illis, quæ non sunt; (modò excipiatur illud, quod negat) & propterea non Leo affirmari potest de homine, Equo, Chimera, Hircoceruo &c. meritò *inquam* reijcit, nam nomina infinita, si simplic iter loquamur, non sunt vera nomina: ad rationem enim nominis spectat ex S. Thoma in lib. 1. Perhierm. lect. 4. significare determinatam naturam, nam homo significat naturam humanam, Leo leoninam &c. vel determinatam personam, quales sunt personæ, *Ego*, Tu &c. infinita autem nomina nihil determinatè habent significare, & ideo à veri nominis definitione iure reijciuntur à Philosopho.

Habes

Habes secundò, quòd etiam meritò reijcit Aristoteles casus obliquos, qui vocantur casus nominis, vt Petri, Petro, Petrum &c. nam declinant ex S. Thoma l. c. per quamdam declarationis originem à nominatiuo, qui quoniam non cadit, vocatur rectus: meritò *inquã* excludit, nam ad rationem nominis spectat significare verum, vel falsum, cum vnitur verbo substantiuo, quia si quis asserat, Petrus est, vel verum, vel falsum affirmat; At casus nominis, licèt vniantur verbo substantiuo, nec verum, nec falsum affirmant, quia si quis asserat, Petri, vel Petro est, nec verum, nec falsum censetur dicere. Neque dicas, quòd casus obliqui, si verbis impersonalibus vniantur, verum vel falsum affirmabunt: E. g. si quis asserat, Magistri est docere, Scholastici est respondere, Petrum pœnitet suorum criminum &c. necessariò verum, vel falsum affirmatur. Neque dicas *inquam* quia certum est secundùm Logicos nomen debere aliquid significare determinatè adeò quòd esse queat subiectum propositionis; casus verò nominis obliquus non habet significatum, nisi cum dependentia à recto, à quo deriuatur, & quem virtute includit, ratione cuius habet significare, & esse subiectum propositionis; propterea si propositio formetur per verbum impersonale casus obliquus secundùm Logicos non retinebit significatum subiecti, nisi resoluatur in rectum, atque adeò allatę propositiones ita resoluendæ sunt, Ille, cuius est docere, est Mgister; Ille, cuius est respondere est Scholasticus; Petrus est pœnitens; quibus datis nihil aduersùs ea, quæ dicit Aristoteles inferri potest, vt patet.

Habes tertiò ex his duobus corollarijs, quod iuxta Philosophi doctrinam clarior erit eiusdem nominis definitiò, si dicatur cum nonpaucis recentioribus, nomen est vox significatiua ad placitum finita, & recta sinè tempore, cuius nulla pars seorsim significat.

S. E-

SECTIO V.

Quid, & quotuplex sit Verbum.

PHilosophus l.c.cap.3. ita definit Verbum. Est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separatim significat, & semper est nota eorum, quæ de altero prædicantur. In hac definitione verbi duæ solùm restant particulæ declarandæ, nam reliquæ iam sunt explicatæ supra. Dicitur itaque verbũ significare cum tempore, hoc est, quoniam significare cum tempore duo continet vnum primariò, & alterum secundariò; primo modo continet actionem quamdã; secundo modo aliud temporis discrimen, vel præsentis, vel præteriti, vel futuri, in quo discrimine fit actio illa; & ratio est, quia de ratione actionis est tẽpore mẽsurari: propterea verbum cum significet actionem, & passionem, necessariò illas debet significare tempore mẽsuratas, E.g. si quis asserat, Petrus ambulat, verbum ambulat primariò dicit actionem ambulationis, & secundariò eãdem actionem tempore præsenti mensuratam: & ita de cęteris temporis discriminibus.

Item verbum est nota eorum, quæ de altero prædicantur, idest, dicitur signum copulæ prædicati cum subiecto, nam si quis asserat, Petrus ambulat, verbum illud *ambulat* copulat suum significatum, nimirum ambulationem cum Petro.

Hinc habes, quòd per has vltimas particulas verbũ secernitur à participio, nam participium quamuis habeat significare quamdam actionem mensuratam per aliquod temporis discrimen, tamen nisi apponatur verbum nullo modo affirmari potest; quia nulla est huiusmodi prædicatio, si quis asserat, Petrus ambulans,

nisi

nisi asserat, Petrus est, vel erit, vel fuit ambulans.

Verbum itaque diuidi solet in substantiuum, & adiectiuum: primum est id, quod significare habet esse, vel rei existentiam, v. g. sum, existo &c. Secundum dicitur id, quod significare habet actionem, vel passionem, v. g Curro, ambulo, &c. vocantur adiectiua, prout significare habent aliquid adiacens rei, quæ est: quia curro significare habet cursum mihi existenti adiacentem,

Habes secundò, quòd Philosophus meritò reijcit ab hac verbi definitione verba infinita, v. g. Non currit, non ambulat &c. & ratio est, quia hæc verba infinita determinatam actionem, vel passionem non habent significare.

Habes tertiò, quòd meritò etiam Philosophus excludit ab allata definitione verba obliqua, quæ vocantur casus obliqui verbi, vt sunt præteritum, & futurum, & præsens cuiuslibet modi præter indicatiuum. Meritò *inquam* reijcit præteritum, & futurum, nam hæc per se non faciunt veram, vel falsam orationem, at cum dependentia à tempore præsenti indicatiui modi, qui vocatur rectus: nam si quis asserat, Petrus cucurrit, vel Petrus curret, hæ propositiones ideo dicuntur veræ, quia interdum verum est asserere, Petrus currit; aut ideo dicuntur falsæ, quia de præsenti nunquam verum erit asserere, Petrum currere. Meritò etiam reijcitur quodlibet præsens cuiuslibet modi præter indicatiuum, nam ratione sui non potest affirmari adeò quòd faciat orationem veram, vel falsam; at veritatem, uel falsitatem efficit cum dependentia ab indicatiuo, ut sunt imperatiuum, optatiuum, coniunctiuum, infinitiuum &c.

Habes quartò ex his, quæ hactenus dicta sunt de uerbo, quòd in definitione verbi iuxta Aristotelis doctrinā ponendæ sunt duæ particulæ, & sic erit definitio bona.

Verbum

Verbum est vox significatiua ad placitum finita, & recta cum tempore, cuius nulla pars separatim significat, & semper est nota eorum, quæ de altero prædicantur.

SECTIO VI.

De prima terminorum proprietate, hoc est de suppositione.

EGimus hacteaus de terminorum natura, sequitur ut agamus de eorum proprietatibus, nam sicut proprietates rei naturam consequuntur; sic notitiam rei consequi debet notitia proprietatum: terminorum autem proprietates sunt, suppositio, Status, Ampliatio, Restrictio, Distractio, Alienatio, Diminutio, & Appellatio: prius de suppositione agendum nobis est, deinde de alijs.

Suppositio itaq; quatenus ad Logicos spectat (omittuntur hic aliquæ acceptiones suppositionis ad Logicū negotium non pertinentes) nil aliud est, nisi usus alicuius uocis, seu uerbi ad aliquid significandum. Porrò duplex est, materialis una, formalis altera. Prima est, cum uox pro se ipsa supponit, v. g. si quis asserat, *Leo est vox*, tunc ille terminus, Leo, non potest supponere pro re significata, nimirum pro vero Leone, nam esset falsa suppositio; at supponere videtur pro re ipsa, scilicet pro illo sono articulato, qui vocatur vox. Secunda est, cum terminus supponit pro suo significato, v. g. si quis asserat, *Leo est rugibilis* terminus ille Leo non supponit materialiter, hoc est, pro illo sono articulato, qui dicitur vox: at supponit pro re significata, nimirum pro vero Leone, qui dicitur principium rugibilitatis.

Item formalis suppositio subdiuiditur in propriam, & impropriam. Hæc est, quando terminus accipitur

pro

pro quadam re, quam impropriè significat, v. g. si quis asserat *Rex Hispaniarum est bene depictus*, terminus ille Rex Hispaniarum, non significat hominem illum qui reperitur Matriti regens Monarchiam Hispanam; at eius imaginem, quam impropriè significat. Illa est, cum terminus accipitur pro re, quam propriè significat, v. g. si quis asserat *Carolus V. fuit Romanorum Imperator* terminus ille, Carolus, significat illum indiuidualem, & numericum hominem; qui verè fuit Romanorum Imperator.

Præterea hæc suppositio formalis propria subdiuiditur in simplicem, personalem, & absolutam. Prima est acceptio termini communis pro suo immediato significato, E. g. si quis asserat *Leo est species*, terminus ille *Leo* accipitur pro suo immediato significato, scilicet pro Leone in communi abstracto ex particularibus Leonibus, & non pro hoc, uel illo Leone in particulari. Secunda est acceptio termini communis pro suo mediato significato, nimirum pro termino competente cuidam naturæ communi, nihilominus tribuitur cuidã indiuiduo particulari, quod illi naturæ subijcitur, v. g. si quis asserat *Bucephalus est hinnibilis*, tunc terminus ille hinnibilis supponere videtur personaliter, quia hinnibilitas primò, & immediatè competit equo vt sic, & illo medio competit Bucephalo, & reliquis equis. Tertia (quæ ab alijs communis vocatur) est acceptio termini communis, & pro immediato, & pro mediato significato; & ideò hæc suppòsitio dicitur quasi media inter primam, & secundam, E. g. si quis asserat, *Leo est rugibilis* tunc terminus ille *Leo* supponit absolute, scilicet & pro Leone in vniuersali, & præcisè accepto, & pro Leonibus in particulari, siquidem rugibilitas est talis passio, ut non tantùm competat naturæ Leoninæ abstractæ ex particularibus, verùm quoque particularibus naturis. Tan-

Tandem ſuppoſitio diuidi ſolet in diſtributiuam, copulatam, determinatam, & confuſam. Prima eſt, cum terminus communis ſic ſupponit pro omnibus ſuis ſignificatis, vt quoque ſupponat pro ſingulis. Vt ſi quis aſſerat *homo eſt riſibilis* tunc terminus ille *homo* ſupponit pro omnibus, & ſingulis hominibus; nam de quouis homine ſolet affirmari riſibilitas. Secunda (quam alij collectiuam vocant) eſt, cum communis terminus ita ſupponit pro omnibus, vt non ſupponat pro ſingulis V. g. ſi quis aſſerat *Lectores Theologiæ ſunt duo PP.* tunc terminus ille *Lectores* ſupponit pro omnibus *Lectoribus* ſimul acceptis, & nõ pro ſingulis: nam de quouis in particulari dicere nequimus eſſe duos PP. Tertia eſt, cum terminus communis ſupponit pro vno particulari reliquis excluſis, quamuis non determinet quodnam ſit illud, E. g. ſi quis aſſerat *Aliquis nobilis Genuensis eſt Dux Reipublicæ Genuæ*, tunc terminus ille *Dux* ſupponit pro aliquo indiuiduo particulari cæteris excluſis, licèt in illa propoſitione non ſtatuatur quiſnã ſit ille homo. Quarta denique eſt, cum terminus communis ita ſupponit ꝑ vno, vt de quouis verificari queat V. g ſi quis aſſerat *Ad nauigandum neceſſariò exigitur Nauis*, terminus ille *nauis* ſupponit pro aliqua naui in particulari, ſed in confuſo.

SECTIO SEPTIMA
Quomodo reſoluantur terminorum ſuppoſitiones.

AD declarandam vim, quam terminorum ſuppoſitiones cõtinent, Logici ſolent vti deſcenſu, & aſcenſu. Primus eſt explicatio ſuppoſitionis alicuius termini, qui pro pluribus ſignificatis ſumi poteſt, v. g. Si quis

quis asserat *Omnis Leo est rugibilis*, tunc terminus ille *Leo* per descensum ita declaratur, Si omnis Leo est rugibilis, igitur, & iste Leo est rugibilis, indicando aliquē Leonem in particulari; & pariter hic alius Leo est rugibilis, indicando alium Leonē; & ita de reliquis: vocatur verò modus iste procedendi descensus, nā in illo ab vniuersali ad particularia fit progressus. Secundus è contra se habet, nam in ascensu sit progressus à particularibus ad vniuersale, sic hic Gallus est bipes, & iste alius est bipes, & ita de cęteris, igitur omnis gallus est bipes.

Porrò descensus, & ascensus diuidi solent in copulatiuum, copulatum, disiunctiuum, & disiunctum. Primus descensus fit, quando in quadam vniuersali enunciatione descendendo apponitur particula *Et* copulans integras enunciationes v. g. si quis asserat, *Omnis Leo est rugibilis* ita fit descensus, igitur iste Leo est rugibilis, & ille alius est rugibilis, & ita de reliquis, tunc illa particula *Et* integras copulat enunciationes, & tali descensu resoluitur suppositio distributiua, de quā suprà. Secundus est, cum fit descensus per appositionem particulæ *Et* copulantis partes, & non integras enunciationes, E. g. si quis asserat, Omnes Logici sunt octo, nequimus facere descensum per appositionē particulę *Et* copulantis integras enunciationes, asserendo igitur, & hic Logicus est octo &c. at potest fieri descēsus per appositionē particulæ *Et* copulantis partē enunciationis, ita, igitur & hic Logicus, & ille Logicus, & iste alius, & ita de reliquis omnes numerādo, sunt octo, & sic resoluitur suppositio copulata. Tertius est, cū in quadā ppositione fit descēsus per appositionē particulę, Vel, aut &c. disiūgentis integras enūciationes, E g si quis asserat *Quidā homo est Rex Hispaniarū* ita fieri debet descensus, Aut hic homo est Rex Hispaniarum, aut ille homo est Rex Hispaniarū, & ita de reliqs, & ita resoluitur suppositio

deter-

determinata. Quartus tandem fit per appositioné eiusdem particulæ *aut, vel*, non disiungentis integras enunciationes, at tantùm partem, v.g. si quis asserat, Quidam Equus est necessarius ad equitandum, sic potest fieri descensus, Vel hic Equus, vel ille Equus est necessarius ad equitandum, adeò quòd necessitas cadere videatur non super talem equum determinatè, at super vnam disiunctè; & ita resoluitur suppositio confusa.

Habes ex his, quòd ea, quæ dicta sunt de descensu, applicari queunt ascensui, quia ascensus copulatiuus fit ascendendo à particularibus ad vniuersale, copulando integras enunciationes, ita hic Equus est hinnibilis, & ille Equus est hinnibilis, & ita de reliquis; igitur omnis Equus est hinnibilis. Copulatús autem ascensus non repetit integram enunciationem, sed parté v.g. quis asserat, si hic Logicus, & hic Logicus, & ille Logicus, & ille alius Logicus, sunt Logici (enumeratis omnibus) igitur omnes Logici sunt octo: eademq; ratione est procedendum per ascensum disiunctiuum, & disiunctũ per appositionem, nimirum particulæ disiungentis, aut integram enunciationem, aut partem.

SECTIO OCTAVA
De alijs terminorum proprietatibus.

STatus est aliqua passio termini, quatenus Verbo vnitur: tunc autem terminus habet suum statum, cum accipitur pro ijs omnibus, quæ existunt in eo temporis discrimine, quod indicatur per copulam principalem propositionis, v.g. si quis asserit *stans loquitur* terminus ille *stans* habet suum statum; accipitur enim pro illis omnibus, qui hoc tempore præsenti fiunt; quod quidem tempus præsens indicatur verbo illo (loquitur) quod

quod est principalis copula in illa propositione. At è contra se habet, si quis asserat, stans loquutus, vel loquetur, est enim status temporis præteriti, vel futuri, ac per consequens ille terminus *stans* accipitur pro præteritis; & in secunda pro futuris, scilicet pro his, qui stabunt; & ex his constat, quòd tres sunt status, nam tria sunt temporis discrimina, in quibus existere queunt res significatæ à termino, qui dicitur habere statum.

Ampliatio nihil aliud est, nisi aliqua extensio termini à minori ad maiorem suppositionem; quod tunc accidit, cum terminus sumitur pro multis contentis in eo temporis discrimine, quod indicatur à verbo, vt patebit ex exemplis mox afferendis.

Porrò quatuor sunt regulæ ad cognoscendas ampliationes, quarum prima est, si terminus est coniunctus cũ verbo præterito ampliatur ad præsens, & ad preteritum, v. g. si quis asserat, omnis Religiosus professus fuit Nouitius, sensus est hic, omnis Religiosus, qui est, & fuit ꝓfessus, fuit Nouitius: si autem vniatur verbo futuro, tunc ampliatio extendi debet ad præsens, & ad futurũ, v. g. si quis asserat, Homo morietur, tunc hic est sensus allatæ enũciationis, omnis homo qui est, aut erit, morietur. Secunda est, si terminus indicat inceptionem, aut actionẽ, qua res, aut incipit esse, aut fit, tunc ampliatio extẽditur ad præsens, & ad futurum, v. g. si quis asserat, ędifico domum, nimirum, quę est, aut erit: At si terminus indicabit decisionem rei, tunc volunt aliqui recẽtiores, quòd ampliatio extendatur ad præsens, & præteritum, v. g. si quis dicat, destruo domum, nimirũ illã, quę est, aut fuit. Mihi verò videtur dicendum, quòd ad præteritum non potest extendi, siquidem id quod fuit, & non est, non potest destrui Tertia verbũ, possum, & aduerbia illud continẽtia ampliare videntur terminos ad omnę temporis discrimen, nimirum ad præsens, præteritum, & futurum, nec

C non

non & etiā ad omne possibiles, v. g. si quis asserat *Omne corpus est quantum*, sic per ampliationem declaratur omne corpus quod est, fuit, erit, aut est possibile, est quantum. Quarta eadem ampliatio inuenitur in terminis significantibus interiorem actum animæ, v. g. si quis ambitiosus desideret dignitates, nimirum illas, quæ sunt, fuerunt, erunt, aut sunt possibiles.

Restrictio contrario modo se habet, ac Ampliatio, si quidem restrictio est coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem; & tunc inuenitur, cum termino restricto coniungitur alius terminus limitans eius significatum, v. g. si quis asserat *Omnis Scholasticus, qui nunc est in Schola audit Magistrum*; tunc illæ particulæ (qui nunc est in Schola) limitant illam enunciationem vniuersalem, adeò quod *Omnis Scholasticus* non accipiatur pro omnibus Scholasticis existentibus, & possibilibus, at pro solis existentibus in schola.

Distractio est acceptio termini pro ijs solum, quæ sunt in quodam temporis discrimine diuerso ab illo, quod indicatur principali copula, v. g. si quis asserat, Cæci vident, Claudi ambulant, Mortui viuunt: nam terminus ille, cæci, claudi, & mortui accipitur pro illis hominibus, qui de præterito erant cæci, claudi, & mortui: licet copula principalis, nimirum verbum vident, ambulant, viuunt, indicet tempus præsens; & ideò si propositio resolui debet, hunc retinebit sensum, qui erant cæci nunc sunt videntes, & qui erant claudi nunc sunt ambulantes, & qui erant mortui, nunc sunt viui.

Alienatio est distractio termini à propria ad impropriam significationem, v. g. si quis asserat *Rex Hispaniarum depictus est in foro*, terminus ille *Rex* per appositionem illius termini, scilicet *depictus* alienatur à proprio significato; nam non significat verum Regem Hispaniarum, at tantùm Regem depictum.

Dimi-

Diminutio inuenitur cum terminus non habet suum integrum significatum, & tantum restringitur ad significandam partem, v. g. si quis asserat *Aethiops est albus secundum dentes*, terminus ille *albus* caret suo integro significato, siquidem restringitur ad significandam tantum partem, scilicet dentes.

Appellatio est applicatio significati formalis vnius termini ad significatum formale alterius termini, v. g. si quis asserat *Paulus est bonus Musicus*, terminus ille *bonus* appellat, seu denominat alium terminum, puta Musicum applicando suum formale significatum, hoc est, bonitatem formali significato alterius termini, scilicet *Paulus*, non prout est talis homo numericus, at prout est Musicus. Porrò variæ sunt appellationis species, in quarum varietate solent euenire plures fallaciæ inter disputandum, quas ex ipso vsu apprehendere potestis.

SECTIO NONA

De Definitione, & Definito.

PHilosophus lib. 2. poster. tex. 9. aut 44. & lib. 1. Topic. c. 4. & lib. 7. Topic. loco 3. ita definit definitionem: Est Oratio distinctè explicans rei essentiam. Vocatur verò definitio, nam suo ambitu totam rei naturam comprehendit, & finit; ab Aristotele dicitur etiam terminus, siquidem rei quidditatem terminat. Dicitur itaque oratio, eò quia plures continet partes, seu terminos partibus definiti correspondentes; & ideò vna solùm vox nequit esse definitio.

Porrò definitio est duplex, nominis vna, rei altera. Prima est explicatio vocabuli, seu etimologiæ, v. g. si quis asserat, Angelus est, qui nunciat, Apostolus, qui mittitur, Philosophus, amator sapientiæ &c. hæc, vel similes

miles definitiones solùm sunt nominis, nam tantùm nomen definiti explicant. Secunda est explicatiò essentiæ definiti, v.g. Si quis asserat Philosophus est ille, qui rerum naturalium scientias benè callet; tunc declaratur natura, non verò nomen Philosophi.

Item hæc definitio rei diuiditur in essentialem, accidentalem, & causalem: Prima, quam alij formalem vocant, est illa, quæ traditur per genus, & differentiam, V. g. homo est animal rationale. Secunda, quam alij descriptionem vocant, est illa, quæ traditur per genus, & proprietates, seu accidentia definiti, V. g. homo est animal risibile, bipes &c. Tertia est illa, quæ fit ex aliqua, vel aliquibus causis definiti. Ceterùm causæ dicuntur esse quatuor, nimirum materialis, formalis, Efficiens, & Finalis; vnde si quis asserat, homo constat ex anima rationali, & corpore, tunc definitio erit causalis per causam formalem, & materialem; siquidem anima rationalis est forma hominis, corpus autem materia; quæ definitio vocari solet etiam essentialis Physica; siquidem anima, & corpus sunt partes essentiales physicæ hominis, & ita vocatur ad discrimen definitionis essentialis metaphysicæ, quę fieri solet per genus, & differentiam, quæ sunt partes metaphysicæ. Si verò quis asserat, homo est cõstãs ex anima rationali, & corpore creatus à Deo propter beatitudinem: tūc definitio censebitur non solùm per causas materialem, & formalem, sed etiam per causam efficiētem, & finalē; Deus.n. est causa efficiēs hominis, & beatitudo est causa finalis.

Ad bonam definitionem tradenda multa exiguntur; & in primis, vt definitio reciprocetur cum definito, hoc est dicatur ad conuertentiam cum illo, V. g. Homo est animal rationale; q̃ definitio reciprocatur, & dicitur ad conuertentiam cum definito; siquidē omne animal rationale est homo, & omnis homo est animal rationale;

aliu... Si

Si autem aliquis dicat *homo est animal bipes*, non tradit bonam definitionem ob defectum huius requisiti; nam quãuis Omnis homo sit animal bipes, nihilominus nõ omne animal bipes est homo; Gallus enim est etiã animal bipes. Secunda conditio est, vt definitio constet ex genere, & differentia, nimirum ex genere vltimo, & vltima differentia; vnde non est tradenda per genus remotum, E.g. si quis asserat homo est animal rationale, bona erit definitio, traditur enim per vltimum genus, & vltimam differentiam hominis: vnde si quis asserat, Homo est substantia rationalis, non erit bona definitio, non enim traditur per genus proximum. Tertia conditio est, vt definitio cõstare debeat ex verbis notioribus, & clarioribus, quàm sit definitũ: & sic animal rationale sunt verba notiora, & clariora, quàm homo: vnde si quis asserat, homo est arbor inuersa, non erit bona definitio, quia hęc definitio caret hac cõditione, traditur enim verbis obscurioribus, & minus notioribus homine. Quarta tandem, vt in definitione nihil superfluũ apponatur; & nec omittatur aliquod necessarium; & propterea, si quis asserat, homo est animal rationale, substantiale, & corporeũ, non erit bona definitio, nam traditur per superflua, siquidem substantiale, & corporeũ includitur in ratione animalis: Itẽ si quis asserat, homo est substãtia rationalis, nec erit bona definitio, nã omittitur genus vltimũ, & primũ hominis animal videlicet.

Quęres primò, an sit aliqua methodus, seu via reperiendi definitionem alicuius rei. Respondetur, quòd duplex est, vna est per collectionem, progrediendo scilicet ab inferioribus ad superiora, nam si hominis definitionem inuenire nobis necessum est, collectiuè ita procedere debemus: primò est spectandum illud, in quo habent conuenientiam omnia indiuidua humanæ naturæ, & pariter illud, in quo discrepant; & hoc relicto

desumendum est omne illud, in quo conuenientiam habent; & ita habetur hominis definitio. E.g. cuncti homines conuenientiam habent in ratione animalis rationalis, & discrepant in pluribus accidentibus, siquidē aliquis est albus, quidam autem niger, quidam Musicus, & quidam Logicus: relictis vero istis, & similibus, in quibus discrepant, & colligentes conuenientiam habere in ratione animalis rationalis tradere possumus definitionē hominis esse animal rationale; nam in cæteris sub animali rationali non habemus conuenientiam, sed differentiam indiuiduorum sub homine inclusorum. Altera est per diuisionem; nam si inuestigare intendamus hominis definitionem ita procedere tenemur, sumēdum est hominis supremum genus, scilicet substantia, & illud per essentiales differentias est diuidendum vsque dum perueniamus ad illam differentiam, quæ soli homini competit, & illum ab omni alio distinguit, omissis illis, quæ homini repugnant: & primò est diuidēda substātia in corpoream, & in incorpoream, & quoniam esse incorporeum repugnat homini, & corporeum ei competit, est relinquendum incorporeum, & accipiendum corporeum: & cum corporeum sit commune homini, & pluribus alijs rebus, ideò vlterius procedere debemus, diuidendo etiam corporeum in animatum, & in inanimatum; & iterum omittendo inanimatum, quatenus homini repugnat, desumendum est animatum: & cum etiam animatum est pluribus commune, ideò diuidendum in sensibile, & in insensibile, seu in animal, & plātam: & demum sensibile, seu animal diuidēdum est in rationale, & in irrationale: & quoniam desumentes rationale cognoscimus soli homini competere, iure inferimus animal esse genus hominis; rationale autem eius essentialem differentiam, & ita habemus integram, & completam ho-
minis

minis definitionẽ, quæ est substantia, corporea, animata, sẽsibilis, rationalis: & quoniã in sẽsibili, siue animali, quod dicitur esse vltimum genus ex allatis, cætera superiora genera includantur, ideo ad hoc vt definitio sit breuior, si quis velit definire hominẽ, tenetur asserere, quòd homo est animal rationale: & hæc secunda methodus videtur magis facilis, & magis certa.

Tandem aliquot requisita afferuntur à Logicis, quæ necessaria sunt in definito: prima itaque conditio est, vt definiendũ sit ens reale, nõ autem figmentum, seu impossibile, quale est chimericum aliquod, quia tale chimericum non habet definitionem rei, at tantum definitionem nominis; nam quando asseritur, Hircoceruus est animal constans per fictionem intellectus ex Hirco, & Ceruo, tunc sensus est, à nobis nomen Hircocerui iudicari animal confictum ex Hirco, & Ceruo: & ratio est, quia hæc, & paria chimerica, quoniam non habent veram, & realem essentiam, consequenter nec habere queunt definitionem claram, & essentiam; at quoniam habent verum nomen, habere queunt definitionem nominalem. Secunda conditio est, quòd definitum debet esse vnum, idest, debet habere vnam essentiam, quia aggregatum multarum essentiarum, seu naturarum, vt *Homo albus* non potest vnica, sed multis definitionibus explicari; siquidem non vnam, sed multas inuoluit essentias. Tertia est, quòd suprema genera, seu prædicamenta non possunt verè definiri: & ratio est quia, vt dictum est, omnis vera definitio constare debet ex genere, & differentia, quibus carent suprema genera, nihilominus describi possunt.

Hinc habes, quòd meritò aliqui Philosophi reijciũt indiuidua, fortasse, aut quia existimarunt non habere veram differentiam: aut quia locuti sunt de definitione, prout est principium veræ scientiæ, quæ à Logicis

dicitur esse de rebus vniuersalibus, vt patebit; proinde talis definitio debet multis competere.

LIBER SECVNDVS.
De Oratione.

HActenus consideratæ sunt partes orationem componentes, scilicet actum est de terminis simplicibus; in præsentiarum agendum nobis est de ipsamet oratione.

SECTIO PRIMA.
Quid, & quotuplex sit Oratio.

EX Aristotele lib. 1. Perhyerm. c. 4. Oratio est vox significatiua, cuius partes seorsum separatæ significant, vt dictiones, non autem vt affirmationes, aut negationes, vt homo albus &c. In qua definitione primæ particulæ communes cum nomine, & verbo claræ sunt: cęteræ verò sunt explicandæ. Et in primis ad rationē orationis spectat, vt eius partes significent, vt dictiones quod ità est; nam partes orationis etiam separatæ significant, idest quælibet illarum proprium, & particulare habet significatum, quod in ipsamet oratione indicabat. E. g. si quis asserat *Homo est albus*, terminus, seu illa pars, homo, separata significare habet animal rationale, vt in oratione; & albus significat subiectum, quod in se habet qualitatem visus disgregantem, hoc est, albedinem, quod etiam in oratione significare habebat. Vnde dictiones nulla copula vnitæ non constituunt orationem, vt Homo, Leo, Sol, &c. & his particulis

modò

modò explicatis oratio distinguitur à noĩe, & verbo, nã, vt dictum est, partes nominis, & verbi scorsim acceptæ non significant, vt prius vnitæ significabant. Item orationis partes significant, vt dictiones, & non quatenus affirmationes, vel negationes, hoc est, significant quatenus simplices termini, & non quatenus orationes; & hoc dixit Aristoteles ad ostendendum esse veram, & propriam orationem illam, quæ componitur ex simplici prædicato, & simplici subiecto, v.g homo est albus.

Obijcies, quia aliquando quædam orationis species, v. g. hypotetica habet partes, quæ scorsim acceptæ significant non solùm, vt dictiones, sed etiam vt orationes, v. g. si quis asserat, si fumus est, ignis est; huius orationis partes, nimirum fumus est, & ignis est, etiam separatæ significant, quatenus orationes. Ad hanc obiectionem respondent aliqui moderni, quòd hoc non est de ratione orationis in vniuersum, cum tantùm particulari orationi competat. Verùm hæc responsio mihi non placet, quia si non conuenit omni orationi, igitur essentialiter non competit orationi, omnia enim, quæ essentialiter competunt superiori, debet competere singulis inferioribus. Melius ergo mihi videtur dicendum, quòd Aristoteles concedit in aliquo casu partes orationis significare non tantum vt dictiones, sed etiam vt affirmationes, vel negationes, vt patet ex verbis, quæ l. c. post allatam definitionem affert, scilicet, *Sed erit affirmatio, vel negatio, si quid additum fuerit*, vt patet in exemplo allato in obiectione, quoniam primæ parti illius orationis, termino *fumus* additur *est*, ideo significat vt affirmatio.

Porrò orõ ẽ duplex, vna pfecta, altera imperfecta. Prima ẽ, qua audita intellectus quiescit, & nõ manet suspẽsus, v.g. si quis asserat, Petrus ambulat. Secunda est, qua audita adhuc intellectus manet suspensus, & ẽ illa orõ,

quæ non integram, at mutilam exponit sententiam v. g. si quis asserat, *Si Paulus ambulabit*; aut si oratio nullam indicat sententiam, v. g. si quis asserat, Animal rationale, Theologia S. Thomæ: has itaque, vel similes orationes, si quis dicat, non censetur velle vlterius progredi: & ideo tales orationes, quæ nullam significant sententiam ad similitudinem nominis habent significare:

Item Oratio perfecta subdiuidi potest in deprecatiuam, imperatiuam, interrogatiuam, optatiuam, & enũciatiuam: & primæ quatuor, quoniam nihil veri, vel falsi includunt, ad Logicos non spectant; quorum tantùm est agere de oratione enunciatiua, qua verum, vel falsum significatur; & propterea illis quatuor relictis de enunciatiua agendum est, & ideo sit.

SECTIO SECVNDA.

De enunciatione, eiusque speciebus.

Enunciatio supra communem orationis definitionē superaddit esse significatiuam veri, uel falsi, v. g. Petrus est Musicus, in ista oratione verum, vel falsum necessario enunciabitur.

Porro enunciatio diuidi solet in simplicem, quam categoricam vocant Logici, & in coniunctam, quam hypotheticam vocant. Prima est illa, quæ vnum de altero vno enunciat, v. g. Petrus est creatura. Vnde nota, quod non requiritur, vt hoc vnum, quod affirmatur de altero sit necessario simplex, potest enim enunciari de vno compositum aliquod, v. g. Petrus est corpus naturale. Secunda est, quæ constat ex duabus saltem simplicibus enunciationibus quodam nexu vnitis; & ideo à nonnullis Logicis dicitur coniunctione vnita, v. g. Si fumus est, ignis est.

Item

Item simplex enunciatio subdiuidi solet in absolutã, quam Logici vocant de inesse, & modalem. Prima est, quæ simpliciter significat rem inesse, aut non inesse subiecto, v. g. Petrus est sapiens, aut Petrus non est sapiens. Secunda est, quæ significat modum, medio quo prædicatum inest, aut non inest subiecto, v. g. Equus necessariò est viuens, Petrus contingenter est Musicus, vel Petrus contingenter non est Musicus.

Præterea simplex enunciatio absoluta est etiam duplex, vna de secundo adiacente, & altera de tertio adiacente. Prima vocatur cum reperitur subiectum, & vice prædicati ponitur verbum substantiuum, v. g. Petrus est. Secunda est cum vltra subiectum, & Verbum ponitur aliud prędicatum, v. g. Petrus est Musicus.

Nota hic primò ad horum maiorem intelligentiam, tale prædicatum aliquando explicitè, & aliquando implicitè, & uirtualiter apponi; tunc uerò ponitur implicitè, cum ultra subiectum uice prædicati solet poni uerbum adiectiuum, u. g. Petrus ambulat; si enim hęc propositio resolui debeat in prædicatum distinctum, à uerbo substantiuo, u. g. Petrus est ambulans, tunc erit de tertio adiacente.

Nota secundò, quòd enunciatio, in qua ultra subiectum, & uerbum substantiuum ponitur aliud prædicatum uocatur de tertio adiacente; nam ab hac supponitur illa, quę est de secundo adiacente; siquidem hæc propositio, *Petrus est Musicus*, supponit hanc aliam Petrus est, quæ ut patet est de secundo adiacente.

Nota tandem, quòd in iam assignatis enunciationis speciebus tria considerari queunt; nimirum qualitas, quantitas, & materia. Cęterùm qualitas duplex est, accidentalis una, essentialis altera. Illa est ueritas, & falsitas, quæ inuenitur in enunciatione. Hæc est coniunctio prædicati cum subiecto reddens

enun-

enunciationem affirmatiuam, vel negatiuam. Affirmatiua verò est illa, in qua principalis copula affirmatur, v. g. Equus est hinnibilis; & quamuis aliquando in enunciatione quædam inueniantur negationes, nihilominus non reddunt enunciationem negatiuam v. g. *Substantia, quæ non est quanta est spiritus*, & hæc enũciatio est affirmatiua, nam particula *non*, minimè negat principalem copulam, scilicet verbum substantiuũ *est*, quòd in allata enunciatione principalis est copula, prout vnit prædicatum subiecto, nimirum *spiritus* substantiæ quantitatem non habenti; siquidem verbum illud *habet*, quod negatur dicitur esse pars subiecti non faciens officium connectendi prædicatum subiecto. Negatiua autem enunciatio est ea, in qua principalis copula negatur, v. g. Petrus non est Musicus, vel nullus Equus est risibilis.

Item secundùm quantitatem diuidi solet in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem. Prima est illa, quæ ante subiectum habet signum vniuersale, nimirum *Omne*, *nullum* &c. v. g. Omnis Leo est rugibilis, nullus Leo est risibilis. Secunda est illa, quæ ante subiectum habet signũ particulare, nimirum *aliquis, aliqua, aliquod, quidam, quædam, quoddam*, v. g. quidam homo est Musicus, aliquis homo non est Musicus. Tertia est illa, quæ & ante subiectum nullum habet signum, & nec habet singulare subiectum, v. g. Equus est hinnibilis, Homo est Musicus, & hæc si reperitur in materia necessaria, nimirum cum continet prædicatum habens necessariam connexionem cum subiecto, tunc æquiualet vniuersali, vnde istæ enunciationes; Homo est risibilis, Leo est rugibilis, idem valent, ac istæ, Omnis homo est risibilis, & omnis Leo est rugibilis: siquidem risibilitas est prædicatum necessarium hominis, & rugibilitas Leonis. Si autem re-

periatur in materia contigenti, tunc æquiualet particulari; propterea idem est asserere, Homo est Musicus, ac quidam homo est Musicus, nam esse Musicum non habet necessariam connexionem cum homine. Quarta tandem est illa, in qua reperitur subiectum singulare, v. g. Petrus est albus.

Rursus secundùm materiam diuiditur enunciatio in necessariam contigentem, & impossibilem, & ideo si quis dicat, homo est animal, enunciatio erit in materia necessaria, seu naturali: hæc autẽ alia, homo est Musicus, est in materia contigenti: in materia autem impossibili, seu, vt nonnulli volunt, in materia remota est cum prædicatum repugnat subiecto, v. g. Leo est risibilis.

SECTIO TERTIA
De Oppositione Absolutarum Enunciationum.

Egimus de speciebus enunciationis, quæ aliquam continent difficultatem, restat vt tractemus de aliquibus proprietatibus, quæ competunt enunciationibus absolutis inuicem comparatis; proprietates verò sunt, oppositio, æquipollentia, & conuersio, in hac secti one de oppositione.


Oppositio itaque est, repugnantia, quę reperitur inter duas absolutas enunciationes oppositas; tunc verò dicuntur opponi, cum vtraque constat eodem subiecto, eodemque prędicato; verùm pugnant inuicem in affirmatione, & negatione, v. g. Hic homo est fortis, hic homo non est fortis.

Hęc itaque oppositio est quatruplex, contraria, subcontraria, contradictoria, & secundùm multos, alia subalterna: nam si vtraque enunciatio est vniuersalis, tunc

tunc est oppositio contraria, v. g. Omnis homo est fortis, nullus homo est fortis; & harum enunciationum conditio est, quod vtraque nequit esse vera, licet falsa esse queat, vt de facto modò adductę enunciationes falsę sunt. At si hæ duę enunciationes oppositę sint particulares, tunc illarum oppositio dicitur subcontraria, v. g. quidam homo est fortis, quidam homo non est fortis, & harum conditio est, quod vtraque falsa nequeat esse, licet vtraq; vera esse queat, vt de facto allatæ veræ sunt. Hoc idem est dicendum de indefinitis propositionibus secundum earum acceptionem, quia interdum dicuntur opponi cõtrariè, interdum autem subcontrariè, E g. si quis asserat, Homo nõ est lapis, Omnis homo est lapis, hæ enunciationes sunt oppositę contrariè, nã prima dicitur æquiualere vniuersali, scilicet istæ, *Nullus homo est lapis*. Si autem quis asserat, Homo est Musicus, quidã homo nõ est Musicus, tunc hæ enunciationes sunt oppositæ subcontrariè, nam prima dicitur ęquiualere huic alteri particulari *Quidã homo est Musicus*. Item si vna enunciatio sit vniuersalis, & altera particularis, v. g. Omnis homo est fortis, Aliquis homo non est fortis, vel vtraque singularis, v. g. Petrus est Musicus, Petrus non est Musicus, tunc istę enũciationes dicuntur opponi contradictoriè, & harum conditio est, vt non possit vtraque esse vera, nec vtraque falsa, at vna vera, & altera falsa. Tandem si vna propositio sit vniuersalis affirmatiua, & altera particularis affirmatiua, tunc inter has enunciationes ab aliquibus iudicatur, quod est oppositio subalterna, v. g. Omnis homo est animal, quidam homo est animal. Dictum est ab aliquibus, nam si propriè loquamur hę enunciationes re vera non dicuntur oppositæ, si quidem vera oppositio est secundum affirmationem, & negationem: at allatæ enunciationes ita se habent, vt vna affirmet,

at

at altera non neget quod vna dicitur affirmare: & ideò Philosophus lib. 1. Perhyerm. c. 5. enumerans omnia genera oppositionum, quę inter absolutas enunciationes reperiri queunt, de hoc vltimo genere non est locutus. Quod si non sic rigorosè, & iuxta plurium opinionem sermonem facere intendamus, asserendum est allatas propositiones esse quodammodo oppositas secundum quantitatem, pro ut vna est vniuersalis, & altera particularis, unde ad maiorem intelligentiam prędictorum oppositionum generum sit subsequens figura.



SECTIO QVARTA

De Æquipollentia absolutarũ enunciationũ.

AEquipollentia, quã æquiualẽtia alij vocant, cernitur quando duæ propositiones absolutæ cõstant, & eodẽ subiecto, & eodem prędicato; at discrepant vna, vel altera negatione, ac propterea idẽ dicuntur valere, & vna æquipollet alteri, & ambæ se mutuo inferunt, vt mox patebit ex sequentibus regulis. Quarum prima est, quòd tunc duæ enunciationes cõtradictoriæ sunt æquipollentes, si alteri in principio præponatur particula *non* V. g. si aliquis asserat, Omnis homo est animal, quidam Homo non est animal, tunc istæ enunciationes, quæ sunt contradictoriæ fiunt ita æquipollentes, Omnis homo est animal, Non quidam homo non est animal: aut. Non Omnis homo est animal, quidam homo non est animal. Secunda est, quòd tunc enunciationes contrariæ redduntur æquipollentes, cum alteri ponitur particula *non* post subiectum ante verbum substantiuum *est*, V. g. si quis dicat, Omnis homo est animal, Nullus homo est animal, redduntur ęquipollentes, ita Omnis homo non est animal, Nullus homo est animal: & eadem ratione procedendũ est in æquipollentia enunciationum subcontrariarum. Tertia est, quòd tunc enunciationes subalternę redduntur ęquipollentes, si in alterutra pręponatur, & postponatur particula *non* subiecto, E. g. si quis dicat, Omnis homo est animal, quidã homo est animal, tunc hæ propositiones redduntur ita ęquipollentes, si prior enunciatio sic formetur, Non Omnis homo non est animal, aut si secunda enunciatio ita formetur, Non quidam homo non est animal: & vt istæ regulę non difficulter in memoria habean-

habeantur, Logici adinuenerunt sequentem versum

Præ contradic, post contra, præ, postque subalter

Nimirum, si negatio preponatur subiecto, facit æquipollentes enunciationes contradictorias; si postponatur subiecto, reddit æquipollentes contrarias, tandem si præponatur, & postponatur subiecto facit æquipollentes subalternas.

Nota hic, quod radix, & fundamentum huius æquipollentiæ est natura negationis, quæ, cum sit malignantis naturæ, talis est, vt omnia post se reperta destruat; & ideo si inuenit enunciationem vniuersalem, facit illam particularem; si reperit illam affirmatiuam, reddit negatiuam.

SECTIO QVINTA

De Conuersione Ennunciationum absolutarum.

Conuersio nihil aliud est, nisi commutatio predicati, & subiecti eiusdem enunciationis, seruata tamē eadem qualitate, & veritate: idest, id quod erat subiectum fiat prædicatū. Nomine qualitatis hic intelligūt Logici affirmationem, vel negationem, E g. si quis asserat *Homo non est lignum*, ita commutatur *igitur lignum non est homo*. Prima enunciatio, in qua subiectum, & prædicatum commutantur, vocatur conuersa, & enunciatio, quæ infertur ex hac commutatione vocatur conuertens; & sic in adducto exemplo illa dicetur conuersa *Homo non est lignum*; & conuertens *lignum non est homo*. Seruare verò qualitatem, nihil est aliud, quàm ex conuersa affirmatiua inferre conuertentem affirmatiuam; & ex negatiua negatiuam. Tandem seruare veritatem, nihil aliud est, quàm ex conuersa vera inferre conuertentem veram.

Cæterùm hæc conuersio dicitur esse triplex, simplex, per accidens, & per contrapositionem. Prima; quam alij vocant *in terminis*, est illa, in qua non tantùm seruantur qualitas, & veritas, quod dicitur esse commune cunctis cõuersionibus, verùm quoque seruatur quantitas, hoc est, vniuersalitas, vel particularitas, & nulla particula reijcitur: & hoc genere conuersionis conuertuntur vniuersales negatiuę, & particulares affirmatiuę V. g. *Nullus Leo est lignum*, igitur *Nullum lignum est Leo*, Aut *Aliquis homo est niger*, *igitur Aliquod nigrum est homo*: & ab hoc genere conuersionis reijciuntur vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, nam darentur conuersæ veræ, & conuertentes falsæ, V. g. si quis afferat *Omnis Leo est corpus*, si conuerti debet simpliciter conuertens erit falsa, nam hæc erit, igitur *Omne corpus est Leo*: & idipsum accidit, si simpliciter debeat conuerti enunciatio particularis negatiua, V. g. si quis asserat *Aliquod corpus non est Leo*, si simpliciter conuertatur, verum non erit dicere *igitur Aliquis Leo non est corpus*: quòd si aliquando & conuersa, & conuertens erit vera, hoc non eueniet propter formam conuersionis, at propter materiam, V. g. si quis asserat *Omnis homo est rationalis*, & deinde si simpliciter conuerti debeat, hoc modo *igitur Omne rationale est homo*; consequentia enunciationis conuertentis erit vera, non propter formam, at propter materiam prout rationale soli homini competit.

Secũda est illa, in qua fit, mutatio quantitatis, hoc est, mutatur vniuersalitas in particularitatem; & ita conuertuntur enunciationes vniuersales, & affirmatiuæ, & negatiuæ V. g. *Omnis Leo est animal*, *igitur aliquod animal est Leo*, aut *Nullus Leo est lignum*, *igitur aliquod lignum non est Leo*.

Tertia tandem est illa, in qua seruari debet eadem

quan-

quātitas, sed extrema propositionis variata, ita vt quod erat prædicatum fiat subiectum ex finitis redduntur infinita per duplicem additionem particulæ *non*, hoc est, si ponatur post signum immediatè ante subiectum, & iterum post verbum immediatè ante prædicatum, v. g. *Omnis Leo est vivens*; per contrapositionem ita conuertitur *Omne non vivens, est non Leo*: & hoc genere conuersionis conuertuntur, & vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua: & vt facilius Scholastici possint has regulas in memoria retinere composuere duos versus, qui sunt sequentes:

Feci Simpliciter conuertitur Eua per acci
Asto per contra sic fit conuersio tota.

In his duobus versibus considerandæ sunt tres illæ dictiones, scilicet *Feci*, *Eua*, *Asto*: in quibus reperiuntur quatuor vocales, nimirum *A, E, I, O*: & prima vocalis significat propositionem vniuersalem affirmatiuam; Secunda significat vniuersalem negatiuam; Tertia significat particularē affirmatiuam; & Quarta significat particularem negatiuam; vnde intelligentia illorum versuum hæc erit. *Feci* simpliciter, hoc est, vniuersalis negatiua, quæ indicatur per vocalem *E*, & particularis affirmatiua, quæ significatur per vocalem *I*, simpliciter conuertuntur. *Eua per acci*, hoc est, vniuersalis negatiua, quæ significatur per vocalem *E*, & vniuersalis affirmatiua, quæ significatur per vocalem *A*, conuertuntur per accidens: *Asto per contra*, hoc est, vniuersalis affirmatiua, quæ significatur per vocalem *A*, & particularis negatiua, quæ significatur per vocalem *O*, conuertuntur per contrapositionem. Et *sic fit conuersio tota*, hoc est, omne genus conuersionis.

SECTIO SEXTA

De Enunciationibus modalibus.

Altera species enunciationis simplicis vocatur modalis, eò quòd in illa indicatur modus, quo prædicatum dicitur, aut non dicitur de subiecto, V. G. *Leo necessariò est animal; Leonem esse risibilem, est impossibile*. Hæc itaque simplex, & modalis enunciatio est quatruplex, prima dicitur de necessario, secunda de contingenti, tertia de impossibili, & quarta de possibili; & ex his modis nonnulli dicuntur vniuersales, & nonnulli particulares, nonnulli affirmatiui, & nonnulli negatiui: & sic *necessario* dicitur modus vniuersalis affirmatiuus, cui in absolutis correspondere dicitur *Omnis*. E' contra verò *impossibile* dicitur modus vniuersalis negatiuus, cui in absolutis correspõdere dicitur *nullus*: At *possibile*, seu contingens, dicitur modus particularis affirmatiuus, cui in absolutis correspondet, *quidam, aliquis*, siquidem *possibile*, vel *contigens* sic connectit extrema enunciationis, vt quantum est ex se non vetat, quominus prædicatum remoueatur à subiecto. Tandem *possibile non* vel *contigens non* dicitur modus particularis negatiuus, nam nunc ponere, nunc tollere dicitur prædicatum à subiecto, cui in absolutis correspondet *aliquis non* seu *quidam non*.

Ceterùm enunciationes hæ modales dupliciter formari queunt; nam aut habent aduerbium pro modo, aut habent modum, qui dicatur nomen, & prædicatũ, v. g. si quis asserat *Petrus necessariò est admiratiuus*, in hac enũciatione modus dicetur illud aduerbiũ *necessario*, & nõ prædicatũ modificans vinculũ verbi substãtiui *est*, & indicans modum, quo esse admiratiuum insit

Petro:

Petro: At si quis asserat *Petrum esse admiratiuum est necessarium*, in hac enunciatione modus dicetur nomẽ, & prædicatum, & ita semper exigit verbum infinitum; & hic secundus modus vsitatior est apud Logicos, vnde deinceps enũciationes modales hoc modo formare debebimus.

Habes ergo, quòd in enunciationibus modalibus tria inueniuntur, nimirum *dictum*, *copula*, *& modus*, vt videre est in ista enunciatione *Petrum esse admiratiuum, est necessariũ*; nam dictũ sunt illa verba *Petrũ esse admiratiuũ*: copula dicitur verbum substantiuum *est*: & tandem modus dicitur *necessarium*; vnde sequitur, quòd in enunciationibus modalibus duo reperiuntur subiecta, & duo prædicata, nimirum subiectum, & prædicatum dicti, quæ sunt minus principalia, & subiectum, & prędicatũ modi, quæ sunt magis principalia.

SECTIO VII.
De qualitate, quantitate, & materia modalium.

Sicut in enunciationibus absolutis reperiuntur qualitas, quantitas, & materia ipsarum; sic quoque in modalibus: nihilominus cum ista differentia, quòd in absolutis vna solùm inuenitur qualitas essentialis, scilicet affirmatio, vel negatio; & in modalibus duplex iuxta duplicitatem subiecti, & prædicati, nam euenire potest, quòd & dictum, & modus affirment, v. g. *Petrum esse admiratiuum est necessarium*: aut quòd dictum affirmet, & modus neget, v. g. *Petrum esse rugibilem, est impossibile*, aut quòd dictum neget, & modus affirmet, v. g. *Petrum non esse rugibilem, est possibile*: aut tandem & dictum, & modus negent, v. g.


Petrum non esse admirativum, est impossibile: & ex hac duplici qualitate, illa, quæ reperitur in modo est principalis, & ideo si modus affirmet, & dictum neget modalis enunciatio dicitur affirmatiua; at si dictum affirmet, & modus neget, censetur negatiua: nam in modalibus enunciationibus potius modus, qui est, quasi forma constitutiua modalis, est spectandus, quàm materia, quæ est dictum.

Item duplex quoque inuenitur quantitas in modalibus enunciationibus, vna competens subiecto minus principali, scilicet subiecto dicti; & altera competens subiecto magis principali, scilicet subiecto modali enunciationis; & prima quantitas significatur per signa vniuersalia, & particularia, v. g. *Omnis, nullus, quidā, aliquis*; & secunda indicatur per modos vniuersales, & particulares v. g. *necessarium contingens &c.*

Tandem duplex quoque inuenitur materia, vna, quæ est inter prædicatum, & subiectum dicti, & altera, quæ est inter modum, & dictum; Prima aut est necessaria, aut contingens, aut impossibilis, vt supra dictum est de de enunciationibus absolutis: & secunda, aut est necessaria, aut impossibilis; nam modus, qui vna vice dicitur competere dicto, necessariò competit adeò quòd nō possit interdum illi non competere: & modus, qui vna vice non dicitur competere, impossibile est, vt interdum competat; & ideo modus respicit dictum per ordinem, & habitudinem prædicati necessarij, aut impossibilis. E. g. si quis asserat *Petrum ambulare est contingens*, in qua enunciatione modus dicitur respicere dictum per ordinem prædicati necessarij, nam necessarium est, ambulare contingenter Petro competere: Item si quis asserat *Petrum esse rugibilem, est impossibile*, hic modus dicitur respicere dictum per habitudinem prædicati impossibilis, nam numquam possibile dicetur rugibilitatem Petro competere.


SECTIO VIII.
De Modalium Oppositione.

EAdem met genera oppositionum enunciationum absolutarum reperiuntur in modalibus, & ideo quatuor etiam sunt genera oppositionum in modalibus, scilicet contraria, subcontraria, contradictoria, & subalterna: & ad cognoscendum quodlibet ex his generibus tres regulæ sunt considerandæ, vna circa modum, & duæ circa dictum: Prima igitur est, quòd contrariç sunt illæ enunciationes modales, quæ habent eumdem modum vniuersalem, siue affirmatiuum, siue negatiuum: & subcontrariæ, quæ habent eumdem modum particularem, siue affirmatiuum, siue negatiuum: contradictoriç, & subalternæ, quç habent eumdem modum contradicentem. Secunda est, quòd enunciationes modales contrariæ, subcontrariæ, & subalternæ, si enunciationes sunt de necessario habere debent dictum contradicens, vel ad minus contrarium; & si enunciationes sunt de possibili, impossibili, vel contingenti habere debent dictum contradicens, aut subalternum. Tertia tandem est, quòd contradictoriæ enunciationes modales debent habere idem omnino dictum; & vt hæ regulæ melius intelligantur vti solent Logici sequentibus figuris.




De Necessario.


A G



De Posſibili.



De impoſſibili.



De Contingenti.

SECTIO IX.
De Æquipollentia modalium.

ÆQuipollentia modalium enunciationum est duarum enunciationum modalium æquiualentia: pro qua Logici duas tradere solent regulas, quæ sunt diligenter notandę. Et prima, est quòd modi enunciationum eadem habere debent quantitatem, adhoc vt ipsæ enunciationes dicantur æquipollentes. Secunda est, in enunciationibus de possibili, debet esse dictum, at debet contradicere dicto enunciationis de necessario, v. g. *petrum esse admiratiuum est necessarium*, cui enunciationi sunt æquipollentes, quæ sequuntur *Impossibile est, petrũ non esse admiratiuũ*, aut *Non possibile est, petrum non esse admiratiuum*: quod idem seruari debet in enũciationibus modalibus, quæ habent dictum vniuersale, v. g. *Omnem hominem esse admiratiuum est necessarium*, cui æquipollentes erunt sequentes *Impossibile est quemdam hominem nõ esse admiratiuum*, aut *Non possibile est quemdam hominem non esse admiratiuum*. Et in negatiuis enunciationibus modalibus ijsdem quoque regulis vtuntur Logici, v. g. *Necesse est nullum hominem esse hinnibilem*, cui æquipollentes erunt sequentes, *Non possibile est, quemdam hominem esse hinnibilem*, aut *Impossibile est, quemdam hominem esse hinnibilem*.

SECTIO DECIMA.
De Conuersione Modalium.

COnuersio enunciationum modalium non est eadem, ac conuersio absolutarum, hoc est, non est mu-

mutatio modi adeò quòd modus, qui erat in conuersa prædicatum magis principale ponatur in conuertente, vt subiectum, & dictum; & quod erat subiectum, & dictum in conuersa ponatur in conuertente, vt prædicatum; àt potius est mutatio prædicati, & subiecti, quibus constat dictum, & dicuntur extrema minus principalia; & modus restare debet, vt antea; seruari etiam debent veritas, & qualitas dicti: Item obseruandæ sunt regulæ conuersionis enūciationum absolutarum, idest, vt conuersio simplex fiat eadem manente quantitate; mutata autem in conuersione per accidens; & tandem in conuersione per contrapositionem termini finiti fiunt infiniti, v. g. si quis asserat *Impossibile est Equum, esse admiratiuum*; si simpliciter conuerti debeat, ita fiet conuersio *Igitur impossibile est admiratiuum, esse Equum*, quòd si conuersio fieri debeat per accidens, sit exemplum *Necesse est Leonem, esse substantiam, Igitur necesse est, aliquam substantiam esse Leonem*. Quòd si tandem per contrapositionem fit sequens exemplum *Necesse est, hominem esse corpus, Igitur necesse est, non corpus non esse hominem*. Reliqua, quæ possent dici de modalibus enūciationibus sunt difficillima, & inutilia.

SECTIO VNDECIMA

De Enunciatione hypotetica.

Hypothetica enunciatio est altera species enunciationis; & hypotetica, vt patet ex dictis, constare debet ex pluribus simplicibus enunciationibus.

Hæc itaque hypotetica est triplex, conditionalis, copulatiua, & disiunctiua; & huius distributionis ratio est, nam nexus, qui plures vnit enunciationes tripliciter se habere potest, nam aut copulat, seu diuidit sententias

Digitized by Google

tentias; si copulat, aut copulat ordine consequutionis, idest, deducendo vnum ex altero, v. g. *Si fumus est, ignis est*, & huiusmodi vocatur conditionalis, & si propriè loqui velimus, vocatur hypotetica. At si nexus copulat sententias absque ordine cõsequutionis, tunc enunciatio vocatur copulatiua, v. g. *& Petrus comedit, & Paulus dormit*. Tandem si nexus separat, seu disiungit sententias, tunc enunciatio dicitur disiunctiua, v. g. *Leo, vel est substantia, vel accidens*.

Item conditionalis est duplex, causalis vna, rationalis altera: prima est cum vna pars includit causam compartis, v. g. *Si est Leo, est rugibilis*, nam causa rugibilitatis est, esse Leonem. Secunda est, cum vna deducitur ex altera per illationem, seu discursum, v. g. *Est Leo, igitur est animal*. Et in hac conditionali illa pars, quæ immediatè ponitur post particulam *Si* vocatur antecedens, & altera vocatur consequens, licèt illa, quæ dicitur antecedens, postponatur, V. g. *Dies est, si Sol est*: hæc secunda pars dicetur antecedens, hoc est, *Si Sol est*, & prima, hoc est, *dies est*, dicetur consequens.

Item hypoteticæ enunciationes, sicut & simplices, suam etiam qualitatem habent, & essentialem, & accidentalem, nimirum esse affirmatiuas, vel negatiuas, & esse veras, vel falsas; sed nota, quòd hypoteticarum affirmatio, vel negatio non est spectanda per affirmationem, vel negationem simplicium, at per affirmationem, vel negationem coniunctionis: atque adeò hæc conditionalis dicitur affirmatiua *Si Leo non mouetur, non currit*, nam quamuis simplices negentur, nihilominus, cum nequaquam negetur coniunctio conditionalis, dicetur affirmatiua. At si simplices affirment, & coniunctio negetur, tunc dicetur conditionis negatiua, v. g. *non si Leo mouetur, currit*: Ita pariter compositiua, si hoc modo formari debeat, *Et Petrus non comedit*,

ait, & Paulus non dormit dicetur affirmatiua, nam particula coniunctiua *Et* non negatur: dicetur autem negatiua, si formetur ita, *Non & Petrus comedit, & Paulus dormit*. Tandem hæc disiunctiua, *Aut Petrus non est substantia, aut Paulus non est accidens*, dicetur affirmatiua, nam particula diuisiua *Aut* non negatur; negatiua autem dicetur hæc *Non aut Petrus est substantia, aut Paulus est accidens*.

Rursus veritas, & falsitas enunciationis hypoteticæ non quomodocumque dependentiam habet à veritate, & falsitate enunciationum simplicium, vt constàt si fiat discursus per singulas species hypoteticæ enunciationis: & quòd spectat ad conditionalem, clarum est; quòd supra dictum est, nam quamuis omnes simplices sint falsæ; conditionalis autem potest esse vera, v.g. si quis asserat. *Si Leo habet intellectum, potest discurrere*; conditionalis vera, quamuis simplices dicantur falsæ; quia veritas conditionalis dependet à bona illatione vnius ex altera; nimirum, vt consequens verè inferatur ex antecedente: è contra autem, si quis asserat, *Si Petrus est homo, est albus*, nam tunc falsa erit conditionalis, licèt simplices sint veræ, quia ex homine non benè sequitur album. Ad veritatem verò copulatiuæ spectat veritas omnium partium, & ideo si vna solùm pars dicetur falsa, dicetur quoque falsa tota copulatiua, *Et Petrus est homo, & Leo est animal, & Equus est arbor*; nam tunc falsa dicetur talis copulatiua propter falsitatem tertiæ partis; & hoc, quod dictum est de veritate, & falsitate copulatiuæ, id ipsum est intelligendum de eiusdem necessitate, & contigentia; quia si vna solùm pars dicetur contigens, & ceteræ necessariæ tunc copulatiua dicetur contigens.

Tandē quæstio est apud Logicos de veritate disiūctiuæ, nam antiqui putabant, quòd veritas disiunctiuę pe-

tat vnam partem veram, & alteram falsam; vnde si omnes partes dicerentur veræ, aut omnes falsæ, tunc falsa esset tota disiunctiua. Fundamentum illorum est, nam disiunctiua sententias disiungit, idest, indicat vnam, vel alteram solùm esse veram, ac consequenter veritas omnium partium nequit compati cum disiunctiua. Moderni autem existimabant, quòd veritas disiunctiuæ non tantùm dependet à veritate vnius partis, verùm quoque à veritate omnium partium, unde per Logicos modernos huiusmodi disiunctiua *Petrus vel est homo, vel est animal* dicetur vera. Alij verò Logici ita conciliant antiquos, & modernos, nam si sit sermo de uera, & stricta disiunctione. hoc est, illa, quæ continet partes ad inuicem oppositas, tunc docent, quòd ueritas disiunctiuæ necessariò exigit falsitatem unius partis, & ita uera erit antiquorum doctrina, u. g. *Paulus vel currit, vel non currit, Paulus, vel est substantia, vel accidens;* & hæ enunciationes sunt disiunctiuæ ueræ, quia continent partes, quæ inuicem opponuntur, & ideo simul reperiri non possunt, & consequenter altera debet esse falsa. At si fiat sermo nō ita rigorosè, sed magis latè de enunciatione disiunctiua, vt est illa, cuius partes, seu membra non habent oppositionem, tunc vera etiam est disiunctiua, licèt omnes eius partes dicantur veræ; & ita vera erit modernorum doctrina, vnde vera dicetur hæc disiunctiua *Vel Petrus est animal, vel Paulus est viuē.* Mihi tamen, licèt non displiceat hæc tertia sententia conciliians antiquos, & modernos Logicos, semper placuit Veterum opinio; & ratio est, quia enunciatio non constans ex partibus oppositis non est iudicanda propriè disiunctiua, at potius aliqua enunciationum coaceruatio, quasi formam veræ disiūctiuæ habentium.

Obiter vnum hic nota, quòd veterum post Aristotelem opiniones semper mihi uisæ ueriores fuere, nam

nam, sicut vt habet P. de Peyrinis mores antiqui sunt mores muscati, ita & antiquorum opiniones, sunt opiniones muscatæ.

In hypotheticis quoque reperiuntur oppositio, & æquipollentia, quæ cum fiant expositione, aut ablatione variarum negationum facientium ipsas hypotheticas negatiuas, vel affirmatiuas, propterea dum cognoscitur quæ nam dicatur hypothetica negatiua, & quę nam affirmatiua, scitur quę nam dicantur hypotheticę oppositę, & quę dicantur ęquipollentes, E. g. si quis asserat. *Si Petrus ambulat, mouetur* tunc contradictoria dicetur hæc. *Non si Petrus ambulat, mouetur*, & ęquipollens dicetur hęc alia. *Non si Petrus ambulat, non mouetur*: & eodem pacto proportionaliter est discurrendum in cęteris speciebus hypotheticis; licet in his, si propriè loquamur, inueniatur tamen oppositio contradictoria, quæ consistere dicitur in negatione, & affirmatione coniunctionis; reliquę verò oppositiones propriè non reperiuntur, nam in his non datur quantitas, nisi quantitas competens categoricis. Tandem in hypotheticis non inuenitur conuersio, nisi illa, quę competit categoricis, nam conuersio, cum sit mutatio, & mutatio fiat secundùm extrema, idest secundùm prędicatum, & subiectum simplicium enunciationum, non verò secundùm coniunctionem, consequenter infertur in hypotheticis non reperiri variam conuersionem ab illa, quę inuenitur in categoricis.

SECTIO DVODECIMA
De aliquibus speciebus enunciationum expositione egentibus.

ALiquæ aliæ reperiuntur enunciationis species, quę quoniam continent quemdam terminum, vel signum non clarum, multas in se inuoluentis enunciationes, per consequens habent non clarum sensum, & ideo egent expositione, & hac ratione Logici vocant illas exponibiles, & illas, quibus exponuntur, vocant exponentes: hę verò exponibiles sunt exclusiuę, exceptiuæ, & reduplicatiuæ: quia cætere, & sunt difficillimę, & inutiles ad Logicam facultatem.

Igitur exclusiuæ sunt illę, quę habent signum excludens, v. g. *solùm, tantùm, dumtaxat, &c.* & aliquando excluditur prædicatum aliud à subiecto, u. g. Si quis asserat, *Apostoli sunt solùm duodecim*, tunc dicitur excludi alius numerus ab illo subiecto *Apostoli*: aliquando autem excluditur aliud subiectum à prædicato v. g. *Solùm animal est sanum*, nam sensus huius exclusiuę est *alteri rei prater animal tale prædicatum*, hoc est, *sanum*, competere non potest: exponuntur verò hæ enunciationes ita *Apostoli sunt duodecim, & non sunt plures, neque sunt pauciores*, & *animal est sanum & nihil, quod non sit animal est sanum*: cum exclusio se tenet ex parte subiecti, tunc exclusiuę enunciationes oppositionē habere possunt.

Exceptiuæ dicuntur illæ, quæ constant signo excipiente, hoc est, *præter*, V. g. *Omne animal præter Leonē est irrugibile*: exponitur verò ita *Omne animal, quod non est Leo est irrugibile, & nullus Leo est irrugibilis*: habent quoque suas oppositiones exceptiuæ.

Tan-

Tandem reduplicatiuę sunt illę, quæ habent hęc, vel similia signa *prout, quatenus, vt, sic, qua, quatenus, quantum*; ut &c. per quę solent Scholastici geminare, vel reduplicare quoddam nomen, V. g. si quis asserat *homo, quatenus homo est rationalis, admiratiuus, risibilis &c.* Porrò particula reduplicatiua tripliciter intelligi potest, nam primò potest reduplicare causam, V, g. *homo prout homo est admiratiuus*, in hac enunciatione reduplicatur causa admiratiuitatis, quæ est humanitas. Secundò potest reduplicare rationem propter quam prędicatum competere dicitur subiecto, & hęc ratio non est causa, V. g. *Homo prout homo est Musicus*, particula illa *prout* non dicitur reduplicare causam, per quam homo dicatur Musicus: iudicans humanitatem esse talem causam, nàm ita sequeretur omnē hominem esse Musicum, quod nihilominus non est verum: reduplicat itaque rationem propter quam prædicatum competat subiecto, quia ex pluribus rationibus, quæ in homine reperiuntur, vt sunt rationes entis substantiæ, corporis, animalis, & hominis, Musica competit homini non propter priores rationes, at propter postremam. Tandem particula reduplicatiua aliquādo nec reduplicat causam, nec rationem propter quam prædicatum competit subiecto, at reduplicat conditionem, V.g. *Ignis prout approximatus comburit stupā*, particula illa *prout* reduplicat tantùm conditionem, quia approximatio nec est causa, nec ratio combustionis, at tantùm conditio; & hæ enuntiationes exponuntur, quia si quis asserat *homo prout rationalis est risibilis*, sic exponitur, quia *Homo est rationalis, homo est risibilis*, Et si aliquis *homo est risibilis ergo homo quatenus rationalis est risibilis*.

SECTIO XIII.

De Diuisione, eiusque Legibus.

DIuisio iuxta logicos nihil aliud est, nisi oratio in qua totum in suas partes diuiditur. Diuisio diuiditur primo in diuisionẽ nominis, & in diuisionem rei. Prima est illa, in qua quoddam nomen in sua significata diuiditur, & hæc propriè vocatur distinctio; v. g. si quis velit diuidere hoc nomen *Gallus* in duo illa significata, putà in Gallum gallinaceum, & in Gallum, idest, Francum. Secũda est illa, in qua res nomine significata diuiditur in suas partes; & hæc est multiplex, siquidem vna dicitur esse diuisio superioris in membra inferiora, nimirum, generis in species, & speciei in indiuidua, quomodo diuiditur, E. g. animal in hominem, Leonem, Equum &c. & hominem, in Petrum, Paulum &c. altera est essentialis, in qua diuidi solet quoddam totum, in suas partes, aut physicas, aut metaphysicas, & ita diuiditur homo in animal, & rationale, quæ sunt partes metaphysicæ, aut in animam, & corpus, quę sunt partes physicæ. Alia diuisio totius in suas partes integrales, V. g. diuidi solet homo in caput, brachia, pectus &c. Reperitur etiam alia diuisio totius potestatiuì in suas potentias operatrices, V. g. si diuidatur anima rationalis, & ita fiet diuisio *anima rationalis alia potentia est intellectus, alia voluntas, & alia memoria*. Tandem reperitur diuisio per accidentia, qua multoties vtuntur Scholastici, dum nesciunt proprias partes totius diuidendi, atque adeò illud diuidunt in accidentia, quæ cognoscunt: & ita dicunt animal aliud rectum, aliud pronum, aliud album, aliud nigrum &c.

Cæte-

Cæterùm aliquę sunt leges bonæ diuisionis, & prima est, vt singula membra diuidentia aliquod totum minus contineant, quàm totum illud diuisum: & omnia mēbra simul accepta totum illud diuisum adæquent: Secunda est, vt diuisio sit in proxima membra diuidentia quantum fieri potest: si verò proxima erunt ignota fieri poterit diuisio per membra remota, sed magis nota. Tertia est, vt in diuidendo non vna solùm pars totius diuisi nominetur, & alia explicetur per negationē partis nominatæ, E. g. si quis asserat *animal aliud est homo, aliud non homo*, nam hæc diuisio non dicetur bona, siquidem per partem negatiuam non cognoscuntur membra positiua animal diuidentia. Vltima est, quòd membra diuidentia debeant esse opposita, ac propterea non dicetur bona ista diuisio *Animal aliud rationale, aliud bipes*, nam bipes non dicitur opponi rationali, ac potius in illo continetur, ac consequenter *bipes* assumendo non fit vlterior progressus per diuisionem animalis.

LIBER TERTIVS.

De Iudicio Illatiuo.

HActenus actum est de ijs, quæ faciunt ad primam, & secundam operationem cognoscitiuam intellectus, sequitur, vt agatur de ijs, quæ spectant ad tertiam, quæ dicitur iudicium illatiuum, & vt benè agamus de syllogismo qui principaliter spectat ad logicum, prius agere tenemur de argumentatione, quæ dicitur genus ipsius syllogismi; & quoniam argumentatio est aliquà species consequentię, propterea ad perfectam cognitionem,

nem,& argumentationis,& syllogismi habendam,prius agendum est de consequentia.

SECTIO PRIMA.
Quid, & quotuplex sit consequentia.

CONsequentia nihil aliud est, nisi oratio, in qua vnum ex altero infertur, V. g. *Petrus est homo, igitur est admiratiuus*; vnde propositio, ex qua deducitur altera dicitur antecedés;illa autem,quę deducitur appellatur consequens: vocatur quoque consequentia nota illationis, quæ indicari solet per particulam *ergo* vel *igitur*: nihilominus nunquam conclusio, nimirum enunciatio illa, quę ex antecedente deducitur, vocari debet consequentia, vt est opinio nonnullorum vocabulis abutentium, at apellanda est conclusio: in exemplo verò modò allato propositio illa *Petrus est homo*, vocatur antecedés, nã ex ipsa deducitur, altera nimirũ *Petrus est admiratiuus*, quæ vocatur consequens. Hęc igitur consequentia est duplex, vna recta,& altera vitiosa. Prima est, in qua vnum ex alio verè infertur, vt constat in adducto exemplo. Secunda est, in qua verè vnum non infertur ex alio, V. g. *Petrus est homo, igitur est albus*.

Porrò recta consequentia quatuor habet species; quarũ prima est, in qua antecedés,& cõsequens constãt iisdem terminis eodem ordine collocatis: & idem valent, vt quando vna propositio ex se ipsa, aut ex sua æquipollente deducitur, V. g. *Petrus est homo, igitur Petrus est homo*: sed talis illatio est nugatoria; minus verò nugatoria erit hæc *Omnis homo est risibilis, igitur nullus homo non est risibilis*. Secunda est illa, in qua antecedés,& consequens cõstant iisdem terminis

minis eodem ordine collocatis, nihilominus non idem valent, vt quando subalternata deducitur ex subalternante, V. g. *Omnis Leo est animal, igitur quidam Leo est animal*, Tertia est illa, in qua antecedēs, & consequens constant iisdem terminis, nihilominus non eodem, at inuerso ordine collocatis; vt quando conuertēs deducitur ex conuersa, V. g. *Nullus Leo est lignum, igitur nullum lignum est Leo*. Tandem quarta est illa, in qua terminus aliquis includitur in antecedente, qui nihilominus non includitur in consequente, & hæc vltima species propriæ nuncupari solet argumentatio, V. g. *Omnis homo est rationalis, igitur Omnis homo est admiratiuus*, terminus ille *rationalis*, qui est medius terminus, prout eius gratia deducitur admiratiuū de homine inuenitur in antecedente, non verò in consequente.

Item consequentia recta duplex est, formalis vna, materialis altera, Prima est illa, quę non attenta materia concludit, sed vi formæ, hoc est, cuius forma, seu dispositio, & modus inferendi in qualibet materia etiam impossibili est legitimus, & validus, & tales sunt omnes consequentię decem, & nouem modorum trium figurarum, de quibus infra. Secunda est illa, quæ vi solius materiæ concludit, hoc est, ob quamdam conexionem materialem, qui inuenitur inter antecedēs & consequens, v. g. *Omnis homo est animal, igitur est sensibilis*: recta erit consequentia, nam naturaliter, & vniuersaliter omne animal est sensibile, retenta verò eadem forma post colligi falsum, v. g. *Omnis homo est animal, igitur Omnis homo est musicus*: propterea prædicta consequentia, seu modus inferendi non non dicetur formalis, quoniam non colligit semper verum in qualibet materia. formales verò consequentiæ sunt illæ, quæ inueniuntur in primo, secundo, &

tertio genere supra commemorata; contra autem quarti generis non est formalis secundùm omnes species, in quas diuiditur, sed secundum aliquam, vt patebit.

SECTIO SECVNDA.

De Legibus consequentiæ.

LOgici cõmuniter quatuor solent tradere leges ad construendas, & cognoscendas rectas consequentias, quarum prima est, vt ex antecedente vero non nisi verum consequens deducatur, v. g. Si quis asserat, *Homo est rationalis*, ex hoc antecedente vero nequit deduci verè, & rectè nisi alterum verum, v. g. *ergo est admiratiuus*: at si deducatur falsũ error, cõmitetur in inferendo. Secunda ex falso potest inferri falsum, & verum, v. g. si quis asserat *Petrus est planta, igitur Petrus est corpus*, ex illo antecedente falso rectè verum fuit deductum: at si quis asserat, *Petrus est planta, igitur est insensibilis*, tunc ex illo antecedente, falso, falsum deducitur, licèt rectè, quia illo posito, antecedente, verum etiam erit consequens. Tertia est omne illud, quod repugnat consequenti, repugnare debet antecedenti, non verò è conuerso; propterea Logici solent asserere in bona consequentia ex contradictorio consequentis inferri contradictorium antecedentis, non tamen è contrario, e. g. si quis asserat, *Omnis homo ambulat, igitur Petrus ambulat*, contradictorium consequentis est *Petrus non ambulat*, quod repugnat antecedenti: contra autem si quis asserat, *Petrus ambulat, igitur viuit*, id quod repugnat antecedenti est *Petrus non ambulat*, quod nihilominus euidens est non repugnare consequenti. Tandem quarta est omne, quod colligitur ex consequente colligi etiam debet ex antecedente,

cedente, & è conuerſo, v. g. ex Petro homine deducitur ipſum eſſe admiratiuum, ex admiratiuo animal, ex animali viuens, ex viuente corpus, ex corpore ſubſtãtia: quæ omnia etiam colligi queunt ex antecedente gradatim procedẽdo hoc modo, *si Petrus eſt homo, igitur eſt animal, igitur viuens, igitur corpus, igitur ſubſtantia.*

SECTIO TERTIA
De Inditijs bonæ, vel vitioſæ conſequentiæ.

EX allatis legibus, ſeu regulis rectæ conſequentiæ, duo colliguntur indicia, medijs quibus cognoſcitur, num conſequentia ſit bona, aut vitioſa. Et primum eſt ſi ex alicuius antecedentis veritate abſolutè, aut ſaltem ex ſuppoſitione conceſſa colligatur ueritas conſequentis, tunc recta erit conſequentia, ſin minus, erit vitioſa: E. g. ex veritate huius antecedentis *Petrus eſt homo*, verè colligitur iſtud conſequens *igitur Petrus eſt admiratiuus*, aut ſi ex ſuppoſitione concedatur *Equum habere intellectum*, rectè colligitur *Equum diſcurrere*: è contra autem ſi quis aſſerat, *Petrus eſt homo, igitur eſt Muſicus*, inepta erit conſequentia, nam ex veritate antecedentis non colligitur illud conſequens. Secundum eſt ſi illud, quod repugnat conſequenti repugnabit antecedenti, bona erit conſequentia, ſi non repugnabit erit inepta, v. g. *Petrus eſt homo, igitur eſt animal*, bona erit conſequentia, nam non animal, quod contradicit conſequenti, contradicit quoque antecedenti: At ſi quis aſſerat, *Petrus eſt homo, igitur eſt Muſicus*, non erit bona conſequentia, nam *non Muſicus*, quod repugnat conſequenti, non contradicit antecedenti.

Digitized by Google

SECTIO QVARTA
De Argumentatione.

ARgumentatio eſt quædam oratio, in qua vnum ex alio infertur, ita vt habeat terminum aliquẽ in antecedente, qui non ſit in conſequente, v.g. *homo eſt rationalis, igitur eſt admirativus*. Argumentatio quatuor habet ſpecies, nimirum ſyllogiſmum, enthymema, Inductionem, & exemplum. Nunc de ſyllogiſmo, deinde de alijs ſpeciebus, Sillogiſmus igitur ex Ariſtotele lib. 1. Priorum c. 1. eſt Oratio in qua quibuſdam poſitis alterum quid à poſitis neceſſe eſt contingere eò quòd hæc ſint. Explicatur ita. Dicitur *Oratio* vt explicetur genus ſyllogiſmi: *In qua quibuſdam*, vt ſignificetur, quòd vna ſolùm propoſitio non ſufficit ad conſtituendum ſyllogiſmum: *poſitis* hoc eſt, propoſitionibus rectè diſpoſitis, vel vt aliqui volunt conceſsis, ſed non benè, nam hoc explicatur per illa verba *eò quod hæc ſint*: additur *alterum quid*: vt ſignificetur ex propoſitionibus rectè diſpoſitis inferri concluſionem: tandem *eo quòd hæc ſint* ideſt concluſionem neceſſariò inferri ex eò quòd ponuntur, vel conceduntur propoſitiones præuiæ.

Habes ex hac ſyllogiſmi definitione, quòd in ſyllogiſmo plures reperiuntur propoſitiones, quarum numerum infra ſtatuemus: item reperitur aliqua artificioſa conſtructio propoſitionum, quæ ſyllogiſmum conſtituit. Et cum ſyllogiſmus alius ſit cathegoricus, ſeu ſimplex, & alius hypotheticus, ſeu compoſitus; & ſimplex, alius ſit abſolutus, & alius modalis, ideò primò tractabimus de ſyllogiſmo abſoluto; de cæteris infra forſitan dicemus aliquod verbum.

SE-

SECTIO QVINTA De materia, & forma syllogismi absoluti.

MAteria syllogismi est duplex, remota vna, proxima altera. Prima sunt termini, ex quibus fiunt enunciationes: Secunda sunt enunciationes ipsæ, medijs quibus immediate conficitur syllogismus, & hæc duplex materia habet etiam duplicem formam, si quidem materiæ remotæ, hoc est, terminorum, forma est figura, quæ est recta collocatio terminorum secundùm prædicationem, & subiectionem apta ad conclusionem deducendam: materiæ autem proximæ, scilicet propositionum, forma est modus, nimirum recta dispositio præmissarum secundùm quantitatem, & qualitatem ad conclusionem inferendam.

Termini verò ex quibus veluti ex materia remota conficitur syllogismus sunt solùm tres, nec plures, nec pauciores ex Aristotele lib. 1. prior. cap. 25. & ratio est, quia exstreme l. ç in syllogismo semper est concludendum aliquid de aliquo mediante aliquo tertio; & sic tria habemus, quæ dicuntur termini, seu materia remota syllogismi, nimirum illud, quod concludendum est, & illud de quo concludi debet, & tandem medium per quod concludi debet. Vnde ex his tribus terminis ille, qui est prædicatum in conclusione nuncupatur maius extremum, nam est dignior terminus, si quidem prędicatum est nobilius subiecto; est enim illius forma, & perfectio; ille autem terminus, qui est subiectum in conclusione vocatur minus extremum, cum sit altero minus dignum. Tandem tertius terminus, cuius gratia prædicatum connectitur in conclusione cum subiecto vocatur medius terminus; & si substantiuè loquamur

vocatur

vocatur medium; Ex propositionibus verò, quæ conclusionem præeunt (propter quam rationem vocantur à Logicis præmissę) vna dicitur maior, & altera minor. Et quidem maior est, non quæ primo loco ponitur, at quę includit maius extremum, scilicet prædicatum conclusionis; minor verò dicetur, non quæ secundo loco ponitur, at quæ includit minus extremum, nimirum subiectum conclusionis: Hi verò tres termini non debent esse quilibet, sed determinati, nam duo debent esse ijdem, quibus proponitur quæstio, quę in syllogismo est futura conclusio, v. g. si proponatur hæc quæstio *An homo sit admiratiuus*, tunc *homo*, & *admiratiuus*, ponendi sunt in conclusione simul connexi: in præmissis autem ponendi etiam sunt, sed disiuncti inter se, & connexi cum medio termino; pro vt ipsius beneficio subiectum, & prędicatum, scilicet illi duo termini, qui erant in quęstione proposita connectuntur in conclusione; medius autem terminus aptus ad connectendum admiratiuum cum homine dicetur esse *rationale*, & syllogismus ita erit formandus; *Omne rationale est admiratiuum, Omnis homo est rationalis, igitur omnis homo est admiratiuus*.

Habes ex his primò, quòd quilibet terminus ex his tribus bis solùm, nec plus nec minus, habet locum in toto syllogismo.

Habes secundò, quòd in omni syllogismo absoluto, & simplici tres solùm, & nec plures, nec pauciores reperiuntur propositiones, quorum duę priores cum proponantur conclusioni vocantur propositiones, seu pręmissę; tertia autem est conclusio; & huius numeri ternarij ratio est, nam in conclusione vniri debent prędicatum, & subiectum virtute medij termini, atque adeò necessariò exigitur, vt medius terminus semel connectatur cum prędicato, & semel cum subiecto conclusio-

nis:

nis: & ex vtraque coniunctione resultant duę pręmissę; quibus deinde infertur conclusio, in qua nullum habet locum medius terminus.

SECTIO SEXTA
De Figuris Syllogismi.

FIguræ syllogismi secundùm Logicos sunt tres, nec plures, nec pauciores: & ratio est, quia tres, ne c plures, nec pauciores sunt naturales complicationes, seu conbinationes medij termini cum pręd icato, & subiecto; quia aut medius terminus in vna propositione est subiectum, & in altera prędicatum: aut in ambabus est prędicatum, aut in ambabus subiectum; & alio modo combinari nequit: propterea cum tres solùm sint medij termini collocationes, tres solùm erunt figuræ; & ita prima figura formatur primo modo, hoc est, cum medius terminus in maiori propositione collocatur tamquam subiectum; & in minori propositione tamquam prędicatum: & ex hac positione habentur modi primę figuræ, quos Logici vocant directos; & in eadem etiam prima figura reperiuntur modi indirecti, qui, vt alibi Deo Dante forsitan patebit, includit figuram, quam alij vocant quartam figuram Galeni, & Medici volunt esse distinctam à figuris Logicis, quę sunt Aristotelis: modi autem primę figurę, & directi, & indirecti sunt nouem comprehensi his duobus versibus.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio. Baralipton
Celantes, Dabitis, Phapesmo, Phrisesomorum.

Priores quatuor dictiones continent modos directos; ceterę autem modos indirectos.

At si medius terminus in ambabus propositionibus collocetur, vt prędicatum, habetur secunda figura; quòd si in

si in ambabus collocetur, vt subiectum habetur tertia figura; & vtriusque figurę modi includuntur in alijs duobus versibus, in quibus decem reperiuntur modi, & ex his priores quatuor pertinent ad secundam figuram; reliqui autem ad tertiam: versus autem sunt sequentes.

Cesare, Camestres, Festino, Barocho, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

Igitur omnes modi vtiles sunt decem, & nouem, in quibus dari nequit vnquam verum antecedens, & falsum consequens: reperiuntur quoque in singulis figuris alij modi, quos Logici docent esse inutiles, & omnes siue vtiles, siuè inutiles sunt sexaginta quatuor, tot .n. sunt cobinationes extremorum secundùm quantitatem, & qualitatem; in quibus (si decem, & nouem excipiantur) dari potest verum antecedés, & falsum consequens.

In his itaque decem, & nouem modis vtilibus, nota primò artificium, & significatum dictionum, quęlibet enim dictio in illis quatuor versibus indicat modũ rectè concludentem; & ideò habet tres syllabas (si excipiantur *Baralipton*, qui quatuor, & *phrisesomorum* qui quinque habet syllabas causa metri, vnde solùm tres inseruiunt: & ita quilibet modus in quantum ad pręsens facessit negocium, tres habet syllabas, nam indicare debet aptam dispositionem trium propositionũ, hoc ordine, vt prima syllaba indicet maiorem, secunda minorem, & tertia conclusionem.

Nota secundò, quòd quatuor reperiuntur vocales in his decem, & nouem modis, nimirum A. E. I. O. & singulę suum retinet significatum, si quidem, vt patet ex dictis A. indicat enunciationem vniuersalem affirmatiuam, E. vniuersalem negatiuam, I particularem negatiuam, O. particularem negatiuam, & vt hęc significata harum vocalium memoria habeantur adinuenti

sunt

sunt à Logicis duo versus sequentes.

Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambæ.
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambæ.

Restat vt in singulis decem, & nouem modis exemplificemus, ad hoc, vt non difficulter in quauis materia secundùm omnes illos modos syllogismi formari queat.

In Prima Figura.

Bar Omne animal rationale est risibile,
Ba Omnis homo est animal rationale,
Ra Ergo Omnis homo est risibilis;

Ce Nullum animal est insensibile,
La Omnis homo est animal,
Rent Ergo nullus homo est insensibilis.

Da Omne admiratiuum est risibile.
Ri Aliquod animal est admiratiuum,
I Ergo aliquod animal est risibile.

Fe Nullum viuens est incorporeum,
Ri Aliqua planta est viuens,
O Ergo aliqua planta non est incorporea.

Modi indirecti.

Ba Omne corpus est mobile,
Ra Omne quantum est corpus,
Lip Ergo aliquod mobile est quantum.

Ce Nullum viuens est incorporeum,
Lan Omnis planta est viuens,
Tes Ergo nullum incorporeum est planta.

Da Omne rationale est risibile,
Bi Aliquod animal est rationale,
Tis Ergo aliquod risibile est animal.

Pha Omne bonum est appetendum,
Pes Nullum vitium est bonum,
Mo Ergo aliquod appetendum non est vitium.

Fri Aliquod bonum est appetendum,
Se Nullum vitium est bonum,
So Ergo aliquod appetendum non est vitium.

In Secunda Figura.

Ce Nullum vitium est appetendum,
Sa Omne bonum est appetendum,
Re Ergo nullum bonum est vitium.

Ca Omne corpus est quantum,
Me Nullus Angelus est quantum,
Stres Ergo nullus Angelus est corpus.

Fe Nullum quantum est spiritus,
Sti Aliquod ens est spiritus,
No Ergo aliquod ens non est quantum.

Ba Omnis homo est rationalis,
Ro Aliquod animal non est rationale,
Co Ergo aliquod animal non est homo.

In Tertia Figura.

Fe Nullum lignum est rationale,
Lap Omne lignum est corpus,
Ton Ergo aliquod corpus non est rationale.

Di Aliquis iustus est mortalis,
Sa Omnis Iustus est honorandus,
Mis Ergo aliquod honorandum est mortale.

Da Omnis vitiosus est vituperandus,
Ti Aliquis vitiosus est indignus,
Si Ergo aliquis indignus est vituperandus.

Bo Aliquod viuens non est intellectuale,
Car Omne viuens est corpus,
Do Ergo aliquod corpus non est intellectuale.

Fe Nullum vitium est appetendum,
Ri Aliquod vitium est habitus,
Son Ergo aliquis habitus non est appetendus.

SECTIO SEPTIMA.

De Regulis omnium Figurarum.

LOgicis placuit multas afferre regulas ad bene construendas has figuras, quarum prima est: Ex duabus præmissis particularibus nihil ratione formæ infertur; vnde si quis afferat, *quædam substantia est rationalis, quidam Equus est substantia*, non benè infertur, *igitur quidam Equus est rationalis*: Ratio verò huius regulæ est, nam medius terminus in syllogismo ad minus in vna ex præmissis completè distribui debet, idest, accipi pro omnibus, pro quibus sumi potest: at *substantia*, quæ in allato syllogismo ponitur, vt medius terminus non accipitur pro omnibus inferioribus: at tantùm pro aliquibus particularibus, & ideo hic syllogismus, *Omne animal fuit in Arca Noe, at Bucephalus est animal, igitur Bucephalus fuit in Arca Noe.*

Noe. Non valet, nam medius terminus, nimirum, *animal* non perfectè distribuitur in maiori, siquidem non accipitur pro omni animali in particulari, nam tunc vera non esset maior, at tantum accipitur pro aliquibus determinatis indiuiduis singularum specierum: at in minori accipitur pro indiuiduo penitus diuerso, quod non fuit in arca Noe, & propterea conclusio non valet.

Secunda est ex puris negatiuis nihil sequitur, V. g. *Nullus lapis est animal, at nullus Leo est lapis, ergo nullus Leo est animal*. Ratio huius regulæ est, nam medius terminus, nimirum, *lapis* nullam dicitur habere connexionem cum animali, & Leone, atque adeò non potest colligi mediante ligno *animal*, & *Leonem* inter se connexionem non habere.

Tertia est; cōclusio sequitur semper debiliorem partem, hoc est, præmissam particularem, & negatiuam, non alterā vniuersalem, & affirmatiuam: Ratio huius regulæ est, nam causa si quatenus deficiēs concurrat ad aliquem effectum causandum, consequenter effectus causatus dicetur esse cum quodam defectu; & propterea consequens quoniam dicitur esse effectus antecedentis, si in antecedente est defectus quantitatis, vel qualitatis, in conclusione similis dicetur esse defectus.

Quarta est; medius terminus esse non debet æquiuocus: Ratio huius regulæ est, nam tunc syllogismus habere diceretur plures terminos, quàm tres, & non bene concluderet; vt si quis asserat *Omnis Canis latrat, Sydus caleste est canis, ergo sydus caleste latrat*: hic syllogismus non bene concluderet, nam ille terminus *canis* æquiuocè dicitur competere cani terrestri, marino, & cælesti.

Quinta est; nulla ex præmissis debet esse hypothetica; & ideo hic syllogismus *Omne animal, si est rugibile*

Digitized by Google

est Leo, *Omnis homo est animal, si est rugibile, igitur Omnis homo est Leo*, non benè concluderet, siquidem habet maiorem hypotheticam, ex qua non bene deducitur conclusio categorica, seu simplex.

Sexta est; maius, & minus extremum in præmissis permisceri non debent; & ideo hic syllogismus, *Num animal, dum ambulat, quiescit, Omnis homo est animal, dū ambulat, igitur nullus homo quiescit*, nō benè concluderet, quia non seruatur hæc regula, *non inquā* bene concluderet, nam pars maioris extremi miscetur cum minore extremo, nimirum, particula illa *dum ambulat*, quæ est pars maioris extremi miscetur in minore propositione cum animali, quod est minus extremū & ideo minor ita formari deberet *Omnis homo est animal*, & deinde concluderetur, *igitur nullus homo, dum ambulat quiescit*.

Septima est; termini semper cum eadē amplitudine, & restrictione debent accipi, & ideo hic syllogismus, *Omne Mortuum est non ens, Nullus Leo est non ens, igitur nullus Leo est mortuus*, non benę concluderetur, nam Leo non dicitur habere eamdem amplitudinem in minori, & in conclusione: siquidem in minori accipitur pro Leonibus solùm existentibus, & in conclusione videtur ampliari ad Leones præsentes, & præteritos, quia, vt supra dictum est, cum terminus habet annexum præteritum verbum, potest ampliari ad præsens, & ad pręteritum.

Octaua est; vt non fiat transitus ex una ad aliam suppositionem sibi repugnantem: vnde hic syllogismus *Equus est species, Bucephalus est Equus, igitur Bucephalus est species*, non rectè concluderet propter defectum huius regulæ, nam Leo in maiori accipitur simpliciter, & in minori personaliter; suppositio verò simplex dicitur opponi personali.

Nona est; vt nec totus medius terminus, nec eius partes ingredi debeat conclusionem; ac propterea hic syllogismus *Omnis Leo est differens ab homine, Petrus nō est differens ab homine, igitur Petrus non est differens à Leone*: non recte concluderet, nam illa particula *differens* est pars medij termini, & ingreditur conclusionem: alias regulas vsu docebimini.

SECTIO OCTAVA.

De Regulis particularibus singularum figurarum.

Logici pro prima figura tres notant regulas: prima, vt maior semper sit vniuersalis, vt syllogismus directè concludere possit, licèt indirectè concludi queat in *phrisesomorum*. Secunda ex minore negatiua nihil directè potest concludi, licèt indirectè ponit in *Phapesmo*; Tertia, vt nulla ex præmissis sit particularis negatiua. Et in secunda figura duas item notant regulas; prima est, vt ex maiore particulari nihil possit concludi; secunda, vt ex vtraque præmissa affirmatiua nihil concluditur, V.g. *Omnis Leo est animal, quidam homo est animal, igitur quidam homo est Leo*. Et tandem in tertia figura duas notant regulas; prima est, ex minori negatiua nihil potest inferri. Secunda est, vt conclusio semper debeat esse particularis.

SECTIO IX.
De Principijs quibus nititur tota vis syllogistica.

VIs syllogistica concludendi in quolibet artificioso syllogismo, qui formari potest in allatis decem, & nouem modis originatur ex duplici principio, quod lumine naturæ cognoscitur euidentem habere necessitatem: hoc autem duplex principium ex Aristotele lib. 1. prior. c. 1. dicitur esse *Dictum de Omni*, seu *Dici de Omni*, & *Dictum*, seu *dici de nullo*. Primum indicat prædicatum sic affirmari de subiecto, vt nihil assignari possit sub illo subiecto, de quo illud prædicatum non affirmetur. Secundum indicat prædicatum sic negari de subiecto, vt negetur quoque de omni contento sub illo subiecto. Et in dici de Omni fundantur cuncti syllogismi affirmatiui, & in dici de nullo cuncti syllogismi negatiui, V. g. si substantia affirmatiuè, & vniuersaliter affirmetur de animali necessariò debet affirmatiuè prædicari de quouis sub animali contento, scilicet, de homine, Leone, equo &c. quæ sub animali includuntur: contra autem de eodẽ animali insensibilitas vniuersale negatur, negari etiam debet de homine, Leone, equo &c. ac de cæteris, quæ sub animali continentur.

Quod duplex principium est ita notum, vt quiuis intellectus quantumuis rudis, terminis cognitis subitò illis assensũ præbeat: & istius duplicis proprij virtus in prima figura secũdũ quatuor priores modos directè concludentes actu inuenitur, & per euidentiam apparet: & ex hoc duplici principio quasi à duplici fonte cæteri emanant syllogismi, & affirmatiui, & negatiui.

Digitized by Google

In cęteris autem figuris nō actu, sed potestate continētur pro ut cuncti modi secundæ, & tertię figurę ad priores quatuor modos dicuntur esse reducabiles.

SECTIO DECIMA

De modis directè, & indirectè concludentibus.

DVo vniuersales reperiuntur modi concludendi, vnus directè concludens, alter indirectè. Primus est ille, in quo maius extremum de minore extremō concluditur: secundus est ille, in quo minus extremum de maiori extremo concluditur. & ad huius intelligam:

Nota primò, quòd in prima figura maius extremum est illud, quòd de medio prædicatur, & minus extremū, quòd medio subijcitur v. g. *Omne quantum est corpus, Omnis Leo est quantus, ergo omnis Leo est corpus*; in hoc syllogismo maius extremum dicitur *corpus*, quia prędicatur de quanto, quòd dicitur medium, & minus extremum est *Leo*, quia eidem medio subijcitur.

Nota secundò, quòd in secunda, & tertia figura hoc difficulter statui potest; nam ambo extrema in his figuris æqualem habent locum: in quidem in secunda maius, & minus extremū subijcitur, & in tertia prædicatur, cōsequenter nulla videtur ratio, quare potius hoc, quàm illud dicatur maius, vel minus extremū; & proptereà asserendum est, quòd maius extremum, vt volunt nonnulli, est illud, quod secundum situm partium in syllogismo alterum extremum precedit, & minus extremum est illud, quod subsequitur: Aut secundum alios, maius extremum est illud, quod in quæsito, seu in quæstione proposita, prædicatur: Aut tandem, quod in conclusione ponitur, vt prædicatum, & alterum

erit

erit minus extremum, v. g. si fiat hæc quæstio *An Leo sit lignum*, & fiat probatio in secunda figura in *Cesare* per medium *viuens* ita *Nullum lignum est viuens, omnis Leo est viuens, igitur nullus Leo est lignum*; in quo syllogismo, vt patet maius, & minus extremum, nimirum, *Leo*, & *Lignum*, semper subijciuntur, atque adeò non apparet, quare à potius *Leo*, quàm *lignum* dicatur maius, vel minus extremum; & propterea docuimus, quòd maius extremum est *lignum*, nam ordine pronunciationis alterum antecedit, nam in quæstione proposita positum fuit, vt prædicatum.

Hinc habes modos directè concludentes esse quattuor priores primæ figuræ, in quibus euidenter cernitur necessitas inferendi, nam actu continent *dictum de omni & dictum de nullo*. Inferunt quoque directè modi secundæ, & tertiæ figuræ, licèt in ipsis necessitas concludendi non videatur sic euidenter, vt videtur in modis primæ figuræ; nec colligunt conclusionem naturæ contradicentem. Omnes hi modi directè concludunt, nam in conclusione prædicatur maius de minore extremo; & quamuis in secunda, & tertia figura non videtur sic clarum, quodnam sit maius, vel minus extremum, sicut in prima figura; nihilominus non colligit minus extremum de maiori extremo, vt patet. Et vltimi quinque modi primæ figuræ indirectè, & contra naturalem instinctum concludunt; nam ex vna parte in ipsorum præmissis, cum actu reperiatur *dictum de omni*, vel *dictum de nullo*, clarè videtur, quid sit maius extremum, & quid minus: ex alia autem parte in conclusione talem ordinem inuertentes, inferunt minus extremum de maiori extremo, v. g. ponantur hæ præmissæ *Omne vitium est imperfectio, Omnis gula est vitium*. In his præmissis clarè videtur, quòd maius extremum sit iste terminus *imperfectio*, & minus extremum iste alius *gu-*

la, quia imperfectio prædicatur de medio in maiori, & ei dem medio subijcitur *gula*, & cõsequenter ex supradictis *imperfectio* dicetur prędicatum, *gula* autem subiectum: his itaque præmissis admissis naturalis, & humanus intellectus per *dictum de omni* expectaret huiusmodi cõclusionem *igitur omnis gula est imperfectio*: & tamen contra omnem expectationem, & naturalem instinctum hæc alia in *Baralipton* deducitur. *Igitur quædam imperfectio est gula*; & sic minus extremum, nimirum *gula* prædicatur de maiore extremo, scilicet de imperfectione, atque adeò colligitur conclusio naturæ contradicens, ac propterea *Baralipton*, & cæteri quatuor modi subsequentes eumdem habentes inferendi modum, bene modi indirecti vocantur.

SECTIO VNDECIMA
De Syllogismo perfecto, & imperfecto.

PErfectus syllogismus vocatur ille, in quo euidenter colligitur conclusio: & tales sunt quatuor solùm modi primæ figuræ directè concludentes. Imperfectus autem est ille, in quo, quamuis sit necessitas inferendi, nihilominus huiusmodi necessitas non euidenter apparet; & huiusmodi sunt syllogismi constructi in cæteris quindecim modis. Porrò necessitatem eorum inferendi demonstrauit Aristoteles tribus medijs, scilicet syllogismo ostensiuo deducente ad impossibile, & expositorio; & probationes ipsas imperfectorum syllogismorum per allata tria media appellant Omnes Logici reductionem per ostensionem, per impossibile, & per expositionem.

SECTIO DVODECIMA

De Syllogismo ostensiuo deducente ad impossibile, & expositorio.

OStensiuus syllogismus dicitur ille, qui nulla facta suppositione directè probat intentum, v. g. si probetur, Leonẽ esse sensibilem, ex eo, quòd est animal, ita *Omnem animal est sensibile, Omnis Leo est animal, igitur Omnis Leo est sensibilis*: per hunc syllogismum directè probatur id, quod intẽditur; si verò quodam facta hypothesi cum aduersario probatur intentum non directè: at ex hypothesi intentum probabitur, v. g. si ad probandum, Omnes Religiosos, qui reperiuntur in hoc Gymnasio esse philosophos, conueniamus cum aduersario: quod si probatum erit quosdam religiosos in hoc Gymnasio inuentos esse Philosophos, hoc ipsũ probatũ erit de cæteris religiosis in hoc gymnasio inutise; tunc ex suppositione ita probatur intentum *Aliqui homines in hoc Gymnasio sunt Philosophi; igitur, & omnes in hoc Gymnasio existentes:* consequentia tenet ex suppositione; non verò directè: sub syllogismo ex suppositione ille cõtinetur, qui vocatur deducẽs ad impossibile.

Syllogismus deducens ad impossibile, seu, vt aliquibus placet, ad incommodum est, ille, qui necessitat aduersarium, aut ad affirmandum aliquod impossibile, aut ad mutandam opinionem, quam substinuerat, E. g. putat aduersarius, Omnem ludum esse honestum: quod aliquis vestrum falsum existimat; tunc est accipienda quædam alia propositio per euidentiam vera, & ex hac denouo accepta, & ex illa, quam affirmat aduersarius, veluti ex duabus præmissis, concludenda est conclusio impossibilis, & talis syllogismus est deducens ad impossibile hoc modo *Omnis ludus est honestus vo*

tu diei, sed aliquis ludus est peccatum, vt patet, Ergo aliquod peccatum est honestum, & hęc conclusio, cum sit impossibilis, & quam aduersarius concedere nequit, necessario suam retractabit opinionem, ne aliquod impossibile necessitetur admittere.

Syllogismus expositorius est ille, qui habet medium terminum perfecte singularem; vocatur expositorius, nã est adeo euides, vt re ipsam sensibus videatur exponere, v. g. *Philippus IV. est Rex Hispaniarũ, sed defensor fidei Catholicæ est Philipus IV. Austriacus, igitur defesor fidei Catholicæ est Rex Hispaniarum* in quo syllogismo apparet, quod mediũ est singulare, est enim Philippus IV. qui est vnus homo singularis.

Nota tamen hic primo, quod medium singulare aliquãdo proferri potest cũ signo vniuersali, siue affirmatiuo, siue negatiuo, V. g. si quis asserat in Barbara. *Omne Astrum efficiens diem est Sol, sed omnis planeta quarti cęli est astrum efficiens diem, igitur omnis planeta quarti cęli est Sol.* Aut si quis asserat in Celarent. *Nullum astrum efficiens diem est Luna, sed omnis planeta quarti cæli est astrum efficiens diem, Igitur Omnis planeta quarti cęli non est Luna.*

Nota secundo, quod dictum est medium terminum syllogismi expositorij debere esse perfecte singularem, quia si est quoddam singulare æquiualens vniuersali, idest identificatum pluribus, non sufficiet ad formandum bonum syllogismum expositorium; v. g. *Deus est Pater, sed Verbum est Deus, igitur Verbum est Pater:* hic syllogismus non est bonus, & non valet, quia medius terminus est *Deus*, qui, quamuis dicatur singularis, nihilominus ęquiualet quodammodo vniuersali, siquidem identificatur pluribus personis diuinis.

SECTIO XIII.

De Conuersione syllogismi imperfecti ad perfectum.

ARistoteles tres tradidit modos ad probandum syllogismos perfectos rectè, & necessariò concludere; & primus modus est per conuersionem imperfecti syllogismi ad perfectum; secundus per deductionem ad impossibile; tandem tertius per expositionem: in hac sectione de primo modo.

Conuersio igitur imperfecti syllogismi ad perfectum fit, aut per conuersionem vtriusque, aut alterius præmissæ; aut absque vlla conuersione præmissarum; & iste modus vocatur ostensiuus, si quidem procedit per ostensiuam probationem, seu reductionem syllogismi imperfecti ad perfectum; pro intelligentia tamen.

Nota primò, quòd nomina omnium modorum, qui in figuris includuntur, aliquas habet literas indicantes, ad quem modum ex perfectis, & quomodo quilibet modus imperfectus reducendus sit: at propterea aduertendæ sunt hæ literæ, scilicet B. C. D. F. per quas literas initium habent modi imperfecti: ille verò modus imperfectus; qui primam literam habet B. est reducendus ad *Barbara*; & qui habet primam literam C. reuocandus est ad *Celarent*, & qui habet primam literam D. ad *Darij*, & tandem qui habet primã literã F. ad *Ferio*.

Nota secundò, quòd in medio prædictorum nominum reperiuntur aliæ literæ, nimirùm S. P. M. C. & litera S. indicat vocalem immediatè præcedentem esse conuertendam simpliciter, P. indicat esse conuertendam per accidens; M. esse conuertendam per transpositionem præmissarum, idest, per conuersionem maio-

ris

tis in minorem, & minoris in maiorem : & litera C. significat modum illum , in quo reperitur non esse reducendum ostensiuè, sed per deductionem ad impossibile: quæ, vt melius intelligantur, sequentibus vtimur exemplis. Et in primis modus *Baralipton* cum primam literam habeat B. reducendus est ad Barbara , iterum post vocalem I. significantem conclusionem reperitur litera P, quæ secundùm regulam traditam indicat illam conclusionem esse conuertendam per accidens : & ita fiet in hoc exemplo . *Omne risibile est corpus, Omnis homo est risibilis, igitur quoddam corpus est homo*. Et siquis admissis præmissis neget conclusionem iudicans, quòd non sequatur necessariò ex vi formæ, possumus oppositum euidenter demonstrare, si reductionem faciamus istius modi imperfecti ad perfectum *Barbara* modò fiat cõuersio per accidens cõclusionis hoc modo. *Omne risibile est corpus, Omnis homo est risibilis, Igitur omnis homo est corpus*: & tunc si *Omnis homo est corpus* euidenter sequitur, quòd *aliquod corpus est homo* , quæ erat conclusio negata.

Pariter in Celantes , si ita quis procedat , *Nullum quantum est spiritus, Omne corpus est quantum, Igitur nullu spiritus est corpus*. Et si quis admissis præmissis neget conclusionem, putans aliquem spiritum esse corpus, quod est contradictorium conclusionis negatę; tunc fieri poterit reductio istius modi imperfecti ad perfectum *Celarent*, & quia post vocalẽ E. quę significat cõclusionem modus imperfectus habet literam S. sequitur, quòd si fiat reductio cõclusio est simpliciter conuertenda hoc modo . *Nullum quantum est spiritus : Omne corpus est quantum, igitur Nullum corpus est spiritus*. Et tunc sequitur, quòd impossibile sit, vt quidam spiritus sit corpus, vt proteruus putabat concedens præmissas in *Celantes* , & negans conclusionem; & ratio hu-

lus est, quia à conuersa per accidens ad conuertente n valet illatio.

Dabitis reducitur ad Darij, & fit simplex conuersio cõclusionis; primam enim literam habet D. & post vocalem I. indicantem conclusionem reperitur. S. v. g. *Omne viuens est corpus, Quidam Leo est viuens, igitur quodam corpus est Leo*, vnde si quis concessis præmissis neget conclusionem, reductio fiet hoc modo. *Omne viuens est corpus, Quidam Leo est viuens, Igitur quidam Leo est corpus*, nam *si quidam Leo est corpus*, tunc necessariò sequitur quoddam corpus esse Leonem, quæ erat conclusio negata.

Eadem ratione est procedendum iuxta leges traditas in reliquis modis imperfectis, in quibus admissis his, quæ dicta sunt, non est dubium, nisi in *Baroco*, & *Bocardo*; nam cum in his modis reperiatur litera C. vt bene reducantur, reducendi sunt per deductionem ad impossibile, & ideo fit.

SECTIO XIV.
De Deductione ad impossibile.

Nota primò certissimum esse in deductione ad impossibile semper accipi debere contradictorium conclusionis negatæ, quia talis enunciationis confirmatio fit per deductionem ad impossibile, ad hoc, vt indicetur, quòd modi imperfecti habeant necessitatem inferendi, quam non habere putans, quis negabit admissis præmissis consequentiam.

Nota secundò, quòd ad cognoscendum modum, in quo exerceri debeat deductio ad impossibile, respicere tenemur præmissas, ex quarum notitia sequitur illius etiam notitia; & supponendum est modos, in quibus

exer-

exercetur deductio, esse primos quatuor primæ figuræ, qui cum euidenter habeant necesſitatem inferendi, negari non poſſunt ab aduerſarijs eorum concluſiones, si præmiſſæ concedantur: & hoc ſuppoſito dico, si vna ex præmiſsis erit vniuerſalis negatiua, dubiũ nõ eſſe deductionem exerceri non poſſe in modis affirmatiuis, concluſio enim ſequitur debiliorem parem, vt dictum eſt; vnde fieri debet deductio ad modos negatiuos, v. g. ad Celarent, aut ad Ferio: Et si vna ex præmiſsis erit particularis, tunc deductio exerceri debet ad Ferio: Et si ambæ vniuerſales, ſed vna negatiua, tunc deductio fieri debet ad Celarẽt: Et si ambæ vniuerſales affirmatiuæ, tunc deductio fit ad Barbara; & tandem si vna erit particularis affirmatiua, deductio fit ad Darij.

Nota tertiò, quòd in modis primæ figuræ, ſcilicet indirectis (modò excipias Celantes) contradictorium concluſionis ſyllogiſmi imperfecti debet eſſe maior in ſyllogiſmo perfecto, & maior imperfecti fit minor in perfecto: & ex his deducitur cõcluſio cõtradictoria, vel contraria minoris ſyllogiſmi imperfecti, quæ fuit antea conceſſa. At in Celantes cnotradictorium debet eſſe minor ſyllogiſmi perfecti, & minor imperfecti fiet maior; & ex his deducitur cõcluſio cõtradictoria maioris ſyllogiſmi imperfecti, ſaltem per vnam, & alteram cõſequentiam, quam aduerſarius prius conceſſerat. In modis autem ſecundæ figuræ contradictorium concluſionis, quæ fuit ab aduerſario negata, ponatur, vt minor ſyllogiſmi perfecti, & remaneat maior eiuſdem ſyllogiſmi imperfecti; & ex his infertur concluſio contradictoria minoris ſyllogiſmi imperfecti, quã aduerſarius prius conceſſerat. Et in modis tertiæ figuræ contradictorium ponitur, vt maior, & remanet minor, & ex his infertur concluſio contradictoira maioris ſyllogiſmi imperfecti, quæ fuit antea conceſſa.

Nota

Nota tandem, quòd vsus horum præceptorum meliori modo habebitur positis aliquibus exemplis; & quidem in Baralipton ex modis primæ figuræ, *fiat* hoc argumentum *Omne rationale est corpus, Omnis homo est rationalis, igitur quoddam corpus est homo*. Si ergò aliquis proteruus negabit consequentiam, tunc accipi debet eius contradictoriū, puta à, Nullum corpus esse hominem, quod proteruus concedere tenetur, ne admittat duo contradictoria simul esse vera; & ita fiet reductio ad impossibile. *Nullum corpus est homo; vt ais, Omne rationale est corpus, vt concessisti, igitur nullum rationale est homo*, & hoc argumentum per euidentiam infert conclusionem, in Celarent, & tunc ita est progrediendum *Nullum rationale est homo, igitur nullus homo est rationalis* per simplicem conuersionem, & nihilominus antea asseruit proteruus, *Omnem hominem esse rationalem*, quæ est propositio contraria.

Verùm in Celantes ita est procedendum. *Nullum quantum est Angelus, Omne corpus est quantum, igitur nullus Angelus est corpus*; tunc si aduersarius negabit consequentiam, est accipiendum cōtradictorium, scilicet *quemdam Angelum esse corpus*, & reductio fieri debet ad Darij hoc modò. *Omne corpus est quantum; Quidam Angelus est corpus, igitur quidam Angelus est quantus*, tunc si aliquis Angelus est quantus, necessariò infertur, *quoddam quantum esse Angelum*, & nihilominus proteruus antea conceſſerat nullum *quantum esse Angelū*, quæ est propositio cōtradictoria vltimæ particularis conclusionis.

In secunda verò figura hoc modo fieri debet reductio, si V. g. fiet argumentum in Cesare, *Nullum rationale est insensibile, Omnis lapis est insensibilis, igitur nullus lapis est rationalis*; si negabitur conse-

quentia, tunc fiet reductio, ad Ferio, & assumi debebit contradictorium conclusionis, scilicet *quemdam lapidem esse rationalem*; & tale construatur argumentum *Nullum rationale est insensibile, quidam lapis est rationalis, igitur quidam lapis non est insensibilis*, & ita hæc cõclusio erit cõtradictoria minori primi syllogismi hoc est, *Omnis lapis est sensibilis*.

In tertia tandem figura ita procedi debet, si argumentum fiat, V. g. in Darapti, *Omne sensitiuum est animal, Omne sensitiuum est corpus, igitur quoddam corpus est animal*, & si negetur consequentia, tunc reductio fieri debet ad Celarent accipiendo contradictorium conclusionis vice maioris hoc modo, *Nullum corpus est animal, Omne sensitiuum est corpus, igitur nullum sensitiuum est animal*; & nihilominus aduersarius antea concesserat contrariam propositionem, scilicet *Omne sensitiuum est animal*.

SECTIO XV.
De tertio modo scilicet per expositionem.

Vsus est Philosophus hoc tertio modo, scilicet per expositionem, ad probandos modos tertiæ figuræ; & tunc erit iste modus, quando fiet syllogismus habens medium terminum singularem.

Nota primò, quòd hic modus bifariam fieri potest, primò si ex præmissis syllogismi imperfecti fiant præmissæ syllogismi expositorij; & ex his deducatur consequentia eiusdem syllogismi imperfecti; & hæc illatio fundatur in illo axiomate per se cognito, nimirum *quidquid sequitur ex consequente, sequi etiam debet ex antecedente*; vnde cum conclusio sequatur ex præmissis syllogismi expositorij, quæ colliguntur ex præmis-

missis syllogismi imperfecti, necessario sequi debet etiam ex præmissis syllogismi imperfecti. Et si fiat hoc argumentum, V.g. in Darapti. *Omne corpus est quātum, & Omne corpus est trinedimensū, igitur aliquod trinedimensum est quantum*: Et deinde de nouo argumentando asseratur, si *Omne corpus est quantum, & omne corpus est trinedimensum*, igitur *hoc corpus* (demonstrando aliquod indiuiduum) *est trinedimensum, & quantum*; quia quidquid asseritur de subiecto, dici quoque debet de omni contento sub eodem subiecto;& his concessis rursus est ita argumentandu m per syllogismum expositorium, *Hoc corpus est quantū, Hoc corpus est trinedimensum, igitur quoddam trinedimensum est quantum*; & hæc conclusio erat illa,quę fuit antea negata, & nunc probata per syllogismum expositorium,

Nota secundò, quòd fieri potest etiam alio modo syllogismus expositorius non per collectionem præmissarum expositorij ex præmissis imperfecti;nō enim semper talis collectio fieri potest: siquidem in Disamis, Datisi, Brocardo &c. talis collectio fieri nequit, nam ex eo, quia quidam homo sit niger, non potest inferri, quòd iste determinatus homo sit niger. Sed tenemur accipere illum determinatum hominem contentum sub medio, propter quem hominem præmissa particularis dicatur vera, quia si inter homines solus Petrus, V. g. sit niger, verè diceretur aliquis homo est niger; ex tali verò indiuiduo; & ex extremis syllogismi imperfecti eodem pacto se habentibus, iuxta affirmationem, vel negationem formabitur syllogismus expositorius;& inferetur conclusio eadem, quæ prius erat negata, V.g. in Disamis *Aliquod coloratum est rubeum, Omne coloratum est mixtum, igitur aliquod mixtum est rubeum*: tunc negata hæc consequentia probabitur

G assu-

assumendo aliquod coloratum, & rubeum, propter quod verè asserebatur aliquod coloratum esse rubeum, & v.g. accipiamus sanguinē in indiuiduo, & ita fiat argumētū, *Hic sanguis est rubeus; hic sanguis est coloratus; ergo quoddam coloratum est rubeum*; & hæc conclusio est euidens; vt constat; & erat conclusio prius negata; nunc probata per syllogismum expositorium:

SECTIO XVI.

De syllogismo habente terminos obliquos.

PLura congerunt alij, sed non omnia videntur necessaria. Bonitas ergo, vel vitium syllogismi ex obliquis terminis cognosci potest media resolutione eiusdem syllogismi in alium habentem recta extrema, sed eumdem sensum retinentia; E. g si quis asserat, *Omnis locutio est ab homine, quædam vox est locutio, igitur quædam vox est homo*: tunc ex hoc syllogismo falsa deducitur conclusio; cuius falsitas videbitur, si maius extremum ex obliquo resoluatur in rectum, & deinde tali modo construatur syllogismus, *Omnis locutio est sonus prolatus ab homine, quædam vox est locutio, igitur quędam vox est homo*. Vitiosum est hoc argumētum, nam quatuor habet terminos, atque adeò vitiosus etiam erit syllogismus ex obliquis; At si quis asserat, *Omnis locutio est ab homine, quædam vox est locutio, igitur quædam vox est ab homine*; tunc talis syllogismus erit bonus, nam rectus, in quem resoluitur erit quoque bonus, vt constat, si quis asserat, *Omnis locutio est sonus prolatus ab homine, quędam vox est locutio, igitur quædam vox est sonus prolatus ab homine*.

SECTIO XVII.
De syllogismo modali.

HVius syllogismi sicut & absoluti duplex est materia, proxima vna, remota altera. Illa sunt propositiones modales, ex quibus construitur; hæc sunt termini, vt constat ex hoc argumēto. Necesse est, Omnem Leonem esse sensitiuum, Necesse est omne rugibile esse Leonem, igitur necesse est omne rugibile esse sensitiuū. Modales syllogismi, quemadmodum & absoluti debent esse in figura, & modo; licet in modo concludendi repetiatur aliqua diuersitas, quam vsus vos docebit.

SECTIO XVIII.
De syllogismo hypothetico.

HIc syllogismus habet ambas, aut saltem alteram propositionem hypotheticam, V. g. si Petrus est logicus, est laudandus, sed si in hoc Gymnasio est auditor, est logicus, igitur si in hoc Gimnasio est auditor, est laudandus. Aut si Petrus est logicus est laudandus. Sed est logicus, igitur Petrus est laudandus,

Porrò hic syllogismus est triplex, conditionalis, copulatius, & disiunctiuus. Primus duas habet figuras, & in prima ponitur antecedens, hoc est, conditio, vt ponatur consequens, V. g. si Sol est, dies est, sed Sol est, igitur dies est. In secunda aufertur consequens, vt auferatur antecedens, V. g. si Sol est, dies est, at non est, dies, igitur Sol non est.

Secundus semper debet esse negatiuus, hoc est eius particula copulatiua neganda est, V. g. Non & dies est, & nox est, At est dies, igitur non est nox: & hic

syllogismus non potest esse affirmatiuus, nam si quis asserat, Petrus est homo, & Petrus est Musicus, vt deinde vnum ex his deducatur, scilicet, igitur Petrus est homo, aut est Musicus, tunc potius videtur enthymema, quàm syllogismus, vt bene notant Summulistæ.

Tertius potius debet esse affirmatiuus, quàm negatiuus, & habere debet terminos pugnantes, vnde, si de propria disiunctione loqui debemus, duas habet figuras: & in prima ponitur vna pars, ad tollendam alterã, V. g. Vel dies est, vel nox est, at dies est, igitur nox non est. In secunda figura negatur vna pars, vt altera concedatur, ita Vel dies est, vel nox est, At nox non est, igitur dies est.

SECTIO XIX.
De Cæteris speciebus argumentationis.

HActenus de syllogismo, restat de reliquis argumentationis speciebus; Enthymema igitur est syllogismus imperfectus, hoc est, quędam oratio, in qua inuenitur vna solùm præmissa, nimirum propositio præcedens conclusionem, & ex hac præmissa subitò deducitur conclusio, V. g. Omne rationale est admiratiuum, igitur Petrus est admiratiuus; in hac propositione virtualiter, & implicitè subintelligitur altera nimirum, *Petrus est rationalis*, quæ propositio si explicitè poneretur, perfectus, & integer haberetur syllogismus, de quo hactenus, & ideò alij enthymema vocãt syllogismum truncum, seu cornutum; quia illi deest vna propositio.

Exemplum est quædam oratio, in qua quoddam singulare ex vno, aut ex multis similibus probatur, Vt Illi, qui Locicæ benè studuerunt, fuerunt magna laude digni,

gni; igitur etiam & mei Scholastici, si eodem modo Logicæ studebunt.

Inductio est quędam progressio ab inferioribus, seu à singularibus ad superius, seu vniuersale, V.g. hic homo est risibilis, ille homo est risibilis, & ita de reliquis, igitur Omnis homo est risibilis. Porrò inductio est duplex, vna imperfecta, altera perfecta. Prima non necessariò concludit, nam nõ accipit cuncta particularia; V.g. si quis asserat, *hic homo est admiratiuus*, *ille est admiratiuus &c*, & deinde concludatur. *igitur omnis homo est admiratiuus*: in hoc argumento tantùm fit conclusio ex vi materiæ, quia, si etiam fieret conclusio vi formæ, semper concluderet; vnde si quis asserat, *Iste homo est albus*, *& ille est albus*, supponendo esse nigros: & deinde concludatur, *igitur Omnis homo est albus*, verum concluderetur, quod nihilominus est falsum. Secunda accipit cuncta singularia, aut explicitè, si possibile est, aut saltem implicitè, V.g. si fiat hæc hypothesis, quòd quatuor solùm sint homines, nimirum Petrus, Franciscus, Ioannes, & Antonius: & deinde quis asserat, Petrus, Franciscus, Ioannes, & Antonius sunt rationales, & Omnis homo est Petrus, Franciscus, Ioãnes, & Antonius, igitur homo est rationalis: huius argumenti conclusio dicitur perfecta ex vi formæ, nam est argumentatio in prima figura: si verò fiat suppositio, quòd multi sint homines, quos singulos impossibile est numerare, tum implicitè debent numerari dicendo, *& ita de cateris, seu de reliquis, igitur &c.*

Nota hic, quòd inductio modo disposita non discrepat à syllogismo secundùm virtutem inferendi, nam in tantùm necessario infert conclusionem, inquantùm est aliquis syllogismus, qui vocatur inductiuus bene dispositus; nihilominus discrepat secundùm modum formæ, qũia syllogismus, qui non est inductio procedit ab vni-

uersalibus ad particularia hoc modo, *Omnis homo est rationalis, sed Petrus, Franciscus, Ioannes, & Antonius sunt omnis homo, igitur Petrus, Franciscus, Ioannes, & Antonius sunt rationales*: inductio autem procedit, vt dictum est, à particularibus, & inferioribus ad concludendum vniuersale, & superius.

SECTIO XX.
De Inuentione medij termini.

MOs fuit apud veteres Dialecticos ad reperiēdum medium terminum aliquam construere figurā, quam appellabant potem Asinorum, nam homines tardi ingenij non intelligebant hanc artem reperiendi medium terminum, & ideo ne inter difficultates immersi suffocarentur, in ipsorum rudum gratiam reperta est ars, seu figura, veluti pons per quem transiret rudes. Vos ergo cùm non estis tardi ingenij talis artis necessitatem non habetis, & huiusmodi artem ex ijs, quæ Philosophus, & Cicero docent de locis topicis apprehendere potestis. Laudo igitur illos, qui talem artem in Summulis omittunt, tum quia nulla alia videtur commodior, nisi felix ingenium, studium continuū, frequens disputandi, & respondendi vsus, & bona memoria retinens, quæ in similibus occasionibus à doctioribus interdum audiuit, aut à se excogitauit; tum quia quomodo potest dari vniuersale præceptum ad diuersas, disparatas, imò & contrarias consequentias in tot distinctis materiebus confirmandas?

RE-

SECTIO XXI.
De Syllogismo Topico, seu Dialectico.

VT nonnulla circa locos topicos dicatur, fuse .n. de illis agere potius ad Rhetoricos, quàm ad Logicos attinet, de syllogismo topico; quem alij dialecticum vocant, agendum est. Topicus ergo syllogismus est ille, qui ex probabilibus procedens opinionem parit; & ideo à syllogismo demonstratiuo discrepare dicitur, eo quòd demonstratiuus ex necessarijs procedit, & scientiam gignit. Vt verò in ambas controuersiæ partes disputare queamus, antiqui Dialectici aliqua reperierunt loca, ex quibus argumenta eruantur: argumentum autem dialecticum est aliquod probabile inuentum ad præbendam fidem, hoc est, medium, quod probabiliter copulatur cum subiecto, & prædicato controuersiæ, vel cum eorum altero, ad discrimen argumenti demonstratiui, quod necessario coniungitur cum prædicato, & subiecto controuersię.

Nota hic primò, quòd locus dicitur sedes argumenti: & generaliter acceptus duplex est, vnus dicitur maxima, & alter differentia maximæ. Primus est propositio per se nota alijs fidem faciens, V. g. hæc enunciatio est maxima; *Cui competit definitio, competit definitum*, aut *cui non competit definitio, non competit definitum*; vt si de aliquo affirmetur esse animal rationale, affirmetur etiam esse hominem, & si negetur esse animal rationale, negetur etiam esse hominem. Secundus est ille, qui in se multas includit maximas, vt locus à *definitione* dicitur differentia, maximæ eo quod multas includit maximas, V. g. *Cui competit definitio, competit definitum*, & è contra, vel *quidquid*

Digitized by Google

competit definitioni, competit definito &c. omnes verò hæ maximę sunt argumenta *à definitione*.

Nota secundò, quòd tales loci alij sunt artificiosi; alij autem non habent artificium; primi generis sunt viginti scilicet, Definitionis, Descriptionis, Notationis, Coniugatorum, Partium, Totius, Causarum, Affectuum, Antecedentium, Consequentium, Præcurrentium, Comitantium, Subsequentium, Similium, Dissimillium, Maiorum, Minorum, Parium, Oppositorum, & Repugnantium: secundi autem generis sunt duo, scilicet auctoritas diuina, & humana.

Nota tertiò, quòd ex loco à *definitione* ita medius terminus reperiri potest, si v. g. proposita controuersia An vitium sit fugiendum, tunc ad hoc confirmandum accipitur definitio *fugibilis*, sic argumentando: id, quod non est nobis consentaneum, est fugiendum, Sed vitium non est nobis consentaneum, Igitur vitium est fugiendum: & eadem ratione procedere possumus, dum intendimus argumenta ex alijs locis eruere.

SECTIO VLTIMA
De Syllogismo Sophistico.

NOta hic, quòd sicut in recto syllogismo duplex reperitur rectitudo, vna materiæ, & altera formę; ideo duplex quoque reperitur defectus, vnus materię, & alter formæ: Hic contigit, cùm inter arguendã quoddam ex præceptis supra datis nõ obseruatur. Ille bifariã cuenire solet, aut *in dictione* aut *extra dictionẽ* idest, aut *in verbis*, aut *in significatis verborum*, & ideò Sophista suos quoque locos habere dicitur: Et profectò loci *in dictione* sunt sex, nimirum *Aequiuocatio*, *Amphibologia*, *Compositio*, *Diuisio*, *Accentus*, *&* *Figura dictionis*; loci verò extra dictionem sunt septem, scilicet Accidens

Secun-

Secundùm quid, & Simpliciter, Ignorantia Elenchi, Petitio principij, Fallacia consequentis, Redere non caussam pro causa, & Fallacia plurium interrogationum, vt vnius: quæ fallaciæ deseruiunt Sophistis ad varios malos fines, de quibus Summulistæ.

Fallacia Æquiuocationis.

HAec inuenitur quando in syllogismo est quoddam vocabulum æquiuocum non vnum retinens significatum; & in altera propositione accipitur iuxta vnum significatum, & in altera, aut in conclusione, accipitur iuxta alterum, v g. si quis asserat, Omne ridens est rationale, sed Pratum est ridens, Igitur pratum est rationale. In hoc sylllogismo, quoniam inuenitur vox illa *ridens* æquiuoca, & in maiori accipitur pro vero ridente, & in minori per metaphorico, ideo reperitur fallacia æquiuocationis: & reijcitur fallacia per distinctionem maioris, ita, *Omne verè ridens, est rationale*, & conceditur *Omne metaphoricè ridens est rationale*, negatur maior; & ita etiam distinguitur minor *pratum est ridens verè* negatur minor, *metaphoricè* conceditur, vnde negatur consequentia.

Fallacia Amphibologiæ.

AMphibologia, seu ambiguitas consistere dicitur in tota aliqua oratione, quæ multos potest habere sensus, v. g quidquid est S. Thomæ possidetur à S. Thoma: At hic liber est S. Thomæ, igitur hic liber possidetur à S. Thoma. Vnde fallacia istius syllogismi consistit in eo, quod in prima premissa nominatiuus cum

cum genitiuo construitur secundùm habitudinem possessionis ad possidentem; in secunda autem premissa secundùm habitudinem effectus ad causam; & sensus est, hic liber est à S. Thoma compositus, & ideo quoniam medium non semper eadem ratione accipitur, vtraque præmissa est distinguenda.

Fallacia Compositionis, & diuisionis.

HAEc euenit, cum illa, quę debent intelligi quatenus diuisa intelliguntur quatenus cōposita, aut è contra. Et tripliciter potest euenire, primò quando quidam terminus applicat suum significatum alteri termino formaliter sumpto, cum nihilominus debeat applicare suum significatum eidem termino materialiter sumpto; & primus sensus est compositus, secundus autem diuisus, E g. si quis asserat, album potest esse nigrum, istud prædicatum, scilicet *nigrum* si applicabit suum significatum, scilicet nigredinem subiecto materialiter accepto, nimirum rei, quæ habet albedinē non verò formaliter, idest pro vt habet albedinem; tunc enunciatio dicetur vera, nam sensus est diuisus: si verò secundò accipiatur modo, nimirum album manens album posse simul esse & nigrum, tunc sensus dicetur compositus, ac per consequens dicetur falsa enunciatio. Secundò euenit cum hę dictiones, *Et, aut, vel &c.* vniunt multa, quæ vniri non possunt, & efficiuntur multi sensus, E. g. si quis asserat *Numerus compositus* ex binario, & ternario est binarius, & ternarius, at Quinarius non est binarius, & ternarius, igitur quinarius non est numerus compositus ex binario, & ternario; Vnde fallacia huius syllogismi videtur consistere in secunda pręmissa (licèt prima falsa etiam esse queat) nam

nam dum asseritur *Quinarius non est binarius, nec ternarius*, si particula *&* accipiatur compositè, hoc est quę componens binarium cum ternar io, minor dicetur falsa; si verò accipiatur diuisiuè, minor dicetur vera. Tertiò quando quędam dictio in altera præmissa copulatur cum vna particula, à qua disunitur in altera, v. g. *Quidquid viuit, semper erit, At Petrus viuit. igitur Petrus semper erit:* huius syllogismi fallacia inuenitur in particula *semper*, quæ in prima præmissa copulatur cum verbo *viuit*; à quo in secunda pręmissa disunitur.

Fallacia Accentus.

HAEc accidit, cum quædam dictio iuxta varietatem accentus, & pronunciationis varia indicat, & in altera præmissa alterum indicat, & in altera alterum, v. g. *Populus est arbor, Ciues Genuenses sunt populus, Igitur Ciues Genuenses sunt arbor*. Et fallacia dicitur consistere in eo, quia *populus* in prima præmissa retinet primam syllabam longam, & in secunda pręmissa breuem, atque adeò varia indicat: pariter euenit ista fallacia per addictionem aspirationis, v. g. *Quidquid amatur hamo capitur, At Filius amatur, Igitur Filius hamo capitur*. Eueniet quoque huiusmodi fallacia, si duæ dictiones in vna præmissa ponatur, quatenus vna, & in altera quatenus duæ, v. g. *Quidquid aliquis facit inuitè, facit coactè, At Deus facit vinum in vite, igitur Deus facit vinum coactè.*

Fallacia Figuræ dictionis.

HAEc euenier, quando duæ res retinet eamdem desinentiam in nomine, & propterea quòd vni tribuitur,

buitur, alteri quoque non denegatur, v. g. si quis asserat Catilinam esse fęminini generis, ex eo quod desinat in *a*, vt *Musa*, & Glicerium esse neutri generis, eo quod desinat in *um*, vt *Scamnum*: & ad hanc fallaciam reuocatur mutatio prædicatorum, v. g. si quis asserat Quidquid emisti, comedisti, pisces crudos emisti, igitur pisces crudos comedisti. In hoc argumento reperitur fallacia, nam in prima pręmissa particula *quidquid* indicat solùm subalterna, & in secunda præmissa illæ particulę *pisces crudos* indicãt substantiã, & qualitatẽ: atque adeò fit transitus in medio termino à substãtia vt sic, ad substantiã cum qualitate: bona igitur dicetur prima præmissa, si asseratur, *quidquid, & quale emisti, comedisti*, & tunc negabitur maior, aut stante illa maiore *quidquid emisti, comedisti*, minor debet esse hæc, At pisces emisti, & tuuc verus dicetur syllogismus.

Fallacia Accidentis.

HAEc accidit, cum duo habent quidam identitatem, ideoque vni tribuitur, quod alteri competit, & tripliciter euenit; primò, quando id, quod competit accidẽti tribuitur subiecto, hoc modo *Cognoscis ambulantem, At Petrus est ambulans, Igitur cognoscis Petrum*. nam ambulatio est accidens, Petrus autem subiectum, & euenire potest, quòd quis cognoscat ambulantem, nesciens quodnam sit subiectum ambulãs Secundò euenit, quando tribuitur inferiori, quod competit superiori, aut è contra, v. g. Equus est species, Bucephalus est Equus, Igitur Bucephalus est species. Aut Bucephalus non est species, At Equus est Bucephalus, igitur Equus non est species. Tertiò euenit, quando fit argumentum à specie ad eius proprietatem, aut è contra,

tra, v.g. Admiratiuum eſt paſſio hominis, ſed homo eſt admiratiuus, Igitur homo eſt paſſio hominis, Aut homo non eſt paſſio hominis, at admiratiuum eſt paſſio hominis, igitur admiratiuum non eſt homo.

Fallacia ſecundùm quid, & ſimpliciter.

HAEc accidit intuitu alicuius additi, quod in altera enunciatione ponitur, & non in altera, v. g. Magiſtro docente, non licet Scholaſticis loqui, igitur Scholaſticis non licet colloqui. In vna enunciatione ponitur tempus, quod nihilominus non ponitur in altera, vnde committitur fallacia à ſecundùm quid, ad ſimpliciter.

Fallacia Ignorationis Elenchi.

HAEc euenit, quando quis indicat ſe eſſe conclusſum, cum nihilominus re vera ſic non ſit, v. g. ſi quis concedat Ariſtotelem fuiſſe bonum Logicum, & aduerſarius contra hunc probet, quòd Ariſtoteles non fuit bonus: ſubſtentans autem iudicans hanc enunciationem aduerſarij eſſe contradictoriam ſuę enunciationis, iudicat ſe eſſe concluſum, neſciens enunciationem aduerſarij non eſſe oppoſitam ſuæ enunciationi, per quã non negabat Areſtotelem non fuiſſe bonum, at tãtũ affirmabat Ariſtotelem fuiſſe bonum Logicum, & ideo dicitur capi ignoratione Elenchi, hoc eſt, redargutionis.

Fallacia Petitionis Principij.

HAEc euenit, quãdo aduerſarius illud ipſum, quod concludere debet, ponit in aliqua ex propoſitionibus

nibus etiam aliquantulum variatis verbis, v. g. volens probare hominem esse risibilem, in vna propositione accipit hominem esse aptum ad ridendum, contra eum, qui scit risibilem, & aptum ad ridendum idem esse, tũc est fallacia, & argumẽtans dicitur petere principiũ

Fallacia Non causæ, vt causa.

HAEc est, cum quædam res datur veluti causa alicuius effectus, cum re vera non dicatur eius causa, v. g. si quis asserat, Lutherus fuit Theologus, & pessimus homo, igitur Theologia est causa malitiæ: vnde fallacia committitur in hoc argumento; siquidẽ Theologia in Luthero non fuit causa malitiæ, at eius peruersa voluntas malè vtens Theologia.

Fallacia plurium interrogationum, vt vnius.

HAEc ẽ, quãdo plura simul petuntur, ac si esset vna petitio, v. g. si asserat alicui, *Tu, & Equus tuus estis ne rationales?* responde vt possim arguere, Tu incautus affirmabis; tunc Sophista replicat, igitur equus tuus est rationalis, vt homo; si autem negabis, adhuc Sophista vrgebit, igitur tu non es rationalis, vt homo. distinguenda est ergo illa conglobata postulatio hac ratione. Ego quidem sum rationalis, non vero Equus meus, & ita reijcitur fallacia. Hæc sint satis de Summulis.

Appendix ad Summulas.

AD perfectam, & adæquatam cognitionem Summularum necessarium est explicare aliquot scitu di-

tu digna; sed prius præmittendus est modus argumentandi, & respondendi in disputationibus.

SECTIO PRIMA
Qui modus seruari debet inter argumentandum, & respondendum in disputationibus.

NOta intentionem argumentantis semper esse probare quamdam propositionem ignoratam, aut a defendente negatam, & propterea arguens obseruare debet, quòd hæc propositio, quam probare intendit, non est ponenda in præmissis, hoc est, in maiori, vel minori propositione syllogismi, quem proponit contra respondentem; neque in antecedente, si proponit argumentans aduersus defendentem enthymema; & ratio est, quia alioquin iterum, atque iterum à defendente negabitur: Sed illa propositio, quam argumentans probare intendit, ponenda est in consequenti; & ratio est, quia propositio, quæ non est per se nota, & propterea negatur à defendente, debet ex aliquo principio notiori deduci, & probari, vt respondens, antecedenti & priori propositione concessa cogatur, posteriorem, & consequentem propositionem concedere, idest, concesso antecedente, cogatur etiam concedere consequens in illo latenter inclusum; ac propterea quotiescunque propositio negata in antecedenti supponitur, petetur principium, ex quo deducatur, & nota fiat, & dum non ostendatur, negabitur.

Ad probandam ergo propositionem negatam, assumendum est pro antecedenti aliquid, quod sit necessariò in re coniũctum cum obiecto propositionis negatę quod si illud concedatur, etiam, & res cum illo coniuncta concedi opus erit; v. g. si quis intendit probare, quod

quòd *Paulus sit animal*, debet assumere sequens principium *Omnis homo continet animalitatem, quatenus partem essentialem, at Paulus est homo, igitur est animal*: Verùm, si defendens neget minorem propositionem huius syllogismi, nimirum quòd *Paulus sit homo*, iterum argumentans illam probare posse ex effectibus, & ita argumentetur. *Homo est essentialiter discursiuus, seu rationalis, sed Paulus discurrit, & ratiocinatur, igitur est homo*.

Praxis argumentantis hæc erit. Aliqui arguentes antequam indicent conclusionem, contra quam velint argumentari, vti solent quodam proemio non nimis longo, sed breui, vel in laudem defendentium, vel ad aliquod propositum. Sed melius meo videri faciunt recentiores scholastici, qui proemiolo, subitò proponunt conclusionem, aduersùs quam argumentantur. Non damnarem tamen illos, qui illo proemio vtuntur, mores enim antiqui (vt semper est in ore nostri Patris de Peyrinis) sunt mores muscati. Mihi magis placet recentiorum vsus, vt argumentans plus temporis ad arguendum habere posit; maximè cũ introductum sit in partibus saltem Italiæ, vbi tres tantùm argumentantes inuitantur ad disputandum, vt singuli arguentes duo proponant argumenta contra duas conclusiones. Laudarem etiam illos, qui in solemni disputatione, maxime si defendens sit secularis, & familiæ nobilis, vtuntur proemio. Argumentans igitur destinatus ad disputandum viso signo bidelli, surgat, & signet se signo crucis, & deinde salutet auditores, tandem dicat *Argumentor contra decimam*, vel *duodecimam*, V. g. *conclusionem, in qua Reuerentia sua*, si defendens est religiosus *habet hoc*, si verò est secularis arguens dicat *in qua Dominatio sua*: proposito argumento contra illam conclusionem, dicat *secundo loco*

argu-

argumentor contra vigesimam, vel *vigesimam quartam, in qua &c.* & iterum contra aliam ſecundo locò indicatam proponat argumenta, quibus propoſitis ſignum reuerentiæ faciat defendenti, & taceat.

Aliquas etiam regulas obſeruare debet arguens. Prima, vt principio non recitet, ſiue legat verba integræ concluſionis, ſed indicet tantùm illud, contra quod debet argumentari. Secunda eſt, vt proponat argumentũ bene meditatum, quod ſit in forma, & ſemper pro concluſione ponatur propoſitio negata. Tertia eſt, vt reſpondentis reſponſum expectet, illum non interrumpendo, ne fiat confuſio, & fructus concertationis deperdatur, vel impediatur: probet verò, accepta reſponſione, propoſitionem negatam: At ſi per defendentem aliqua propoſitio fuerit diſtincta, tunc arguens, vel impugnare debet vnum membrum diſtinctionis negatum, aut probare nõ eſſe bonam, vel ad propoſitum datam à defendente diſtinctionem. Quarta, vt breuiter, & perſpicuè proponat argumentum, neque extra formam loquatur aliquid, ſed ſinat reſpondentem ſuas partes agere. Quinta, vt neque cum alijs loquatur, ne impediatur diſputatio.

Praxis autem defendentis hęc erit: poſtquam arguẽs ſua propoſuerit argumenta, defendens aperto capite, ſtans dicat hæc verba, *Optimè argumentatur N.* (det vnicuique argumentanti titulum, qui illi conuenit) *aduersùs duas ex noſtris concluſionibus, & primo loco contra N. in qua dicimus &c. contra quam sic argumentatur &c. ſecundo loco contra N. in qua &c. contra quam ita argumentatur &c.* quo facto petat ab arguente (ſi argumentans non indicauerit cõtra qua m velit primo loco, habita reſponſione, reſumat argumẽtum contra concluſionem indicatam, & integrum repetat. Ratio autem, quare repetere, ſeu reſumere de-

 bet

bet integrum arguentis argumentum, eſt, vt reſpondẽs cum arguente conueniat. Deinde iterum repetat maiorem, quæ ſi fuerit vera, illam concedat; ſi verò fuerit falſa, illam neget; & ſi fuerit ambigua, vel æquiuoca plures habens ſenſus, illam diſtinguat, & ſecundùm vnam diſtinctionis partem, hoc eſt, in ſenſu vero concedat propoſitionem, & ſecundùm alteram, hoc eſt, in ſenſu falſo negat. Quòd ſi propoſitio fuerit argumento indifferens, ita ut ad illud non ſpectet, num ſit vera, vel falſa: vel ſi aduertat parum referre, quòd negetur, vel concedatur ad illationem, quàm intendit arguens, quia nec ex illa negata, vel conceſſa infertur concluſio; tunc defendens vtatur his verbis *tranſeat N.* vel *do propoſitionem N. gratis*. Sed quoniam tunc arguens poterit aſſumere talem propoſitionem, vt conceſſam, & ex illa concludere ſuum intentum, ſi agnoſcit in ea efficaciam ad probandum, quod vult; ideo defendens poſſet vti his verbis *quidquid ſit de propoſitione N.* vel *Omitto*, & tunc arguens non poteſt illam aſſumere, vt conceſſam. Si autem defendens negat maiorem propoſitionem, non pergat ad minorem, ſed expectare tenetur, quod illi probetur talis negata propoſitio; in cuius probatione eadem ratione, eodemque modo procedere debet, ac in quauis alia argumentatione, quæ illi proponatur; ſiquidem probatio cuiuslibet propoſitionis negatæ argumentatio eſt. Si verò concedat maiorem propoſitionem, pergat ad minorem, & ſimiliter vtatur his verbis *concedo minorem*, vel *nego*, vel *diſtinguo*. Quòd ſi ambas propoſitiones, hoc eſt, maiorem, & minorem, veras reperiat; & tamen aduertat falſitatem in conſequenti, repetat prius illud, & dicat *nego conſequentiam*, non verò dicat *nego conſequens*, quo modo reſpondendi denotet arguenti, quòd quamuis propoſitiones ab illo aſſumptę ſint veræ, non tamen ex illis infer-

tur

aut consequens, aut conclusio, eò quòd non sit necessariò in re coniuncta cum præmissis. Si verò in consequenti (modò argumentum non sit in forma) reperiat ambiguitatem, vel æquiuocationem, tunc dicat *distinguo consequens*, nō verò dicat *distinguo cōsequentiam*: Ratio autem, cur non distinguatur consequentia, sed consequens, est, quia consequentia, cum sit tantùm illa vis connectens propositiones, quæ consistit in indiuisibili; absolutè aut erit bona, aut mala; & si bona, erit simpliciter consequentia, qualis nullo modo erit, si sit mala; atque ita non est capax distinctionis: Consequens autem, cum sit propositio, est capax distinctionis; eò quòd potest habere dubios sensus: data verò distinctione consequentis, defendens dicit absolutè *concedo*, aut *nego consequētiam*: & sensus est, quòd posita tali intelligētia illius propositionis defendens cōcedit, aut negat esse connexionem illius propositionis cū antecedenti: atque adeo infertur, quòd nequit distingui cōsequēs (si argumentū sit in forma, & præmissæ sint absolutè veræ, & concessæ) eò quòd ea ratione connectuntur extrema in conclusione, qua fuerunt in præmissis cum medio connexa: igitur si absolutè concedantur à defendente, quatenus connexa cum medio in præmissis extrema: absolutè concedendo est connexio eorumdē inter se in conclusione. Si verò argumentum, quod proponitur à defendente sit *Enthymema*, quod constet ex duabus propositionibus, primam vocet defendens *antecedens*, secundam *consequentiam*, & eodem modo procedat, quo dicebam de syllogismo. Tandem si argumentum habeat quādam propositionem hypotheticam, quæ habeat in fronte particulā *Si*, e.g. *Si Deus faciat ens rationis* cum loco particulæ *etiam* poni soleat sequeretur, V. g. in dato exemplo *sequeretur Deum cognoscere rem; vt non est in se*, tunc defendens dicat

concedo, aut *nego sequelam*. Nonnullas etiam regulas obseruare debet defendens. Prima vt non sit nimius in distinctionibus. Secunda vt raro dicat *explico*, nisi cum affertur aliquis textus vel Aristotelis, vel S. Thomę Aquinatis, qui illum sequi debeat, vel cum resoluenda est aliqua propositio implicata. Tertia, vt quando extra formam argumenti interrogatur, interrogationem resumat, & illi breuiter satisfaciat distinctè, & clarè. Quarta, vt vocet suis nominibus singulas propositiones *Maiorem*, *Minorem*; *Consequentiam*, seu *Consequens* modo dicto; quando post integrum argumentum aliud proponitur, seu alia propositio, illa vocari debet *subsumptum*. Quod si negare debet aliquid, quod supponitur, tunc dicat *nego hypothesim*; vel *suppositionem*, non vero dicat *nego suppositum*, nam hoc nomen non significat propositionem, seu dictum, quod supponitur, sed (vt aiunt Metaphysici) vltimum terminum naturæ.

Regulæ autem vtriusque defendentis, & arguentis erunt sequentes. Prima est, ne pertinaces sint, & falsitatis defensores, & ideo cauenda est proteruitas, quod clarè falsum est, defendendo, aut quod manifestè est verum, pertinaciter negando. Poterit tamen exercitij gratia verum aliquando impugnari, & falsum aliquando defendi. Secunda est, vt cum ardore, sed modestè procedant; & ideo non sint contumeliosi, irrisores iuxta sententiam Ciceronis 1. de finib. vbi habet *Maledicta contumelia, concertationesque in disputando pertinaces indigna Philosophia videri solent*. Tertia, ne aliena immisceant, quæ disputationē confundāt. Quarta, ne finem disputationis, quæ est veritatis inquisitio, peruertant.

SECTIO SECVNDA
De Ratione studendi.

NOta primò, quòd Religiosi scholares ad studendum deputati, qui sunt in studendo notabiliter negligentes lethalem committunt culpam: ita Navarrus, S. Antoninus, & Medices, quos citat, & sequitur P. de Peyrinis tomo 1. Relig. q. 1. cap. 30. vers. Dico quartò: & Ratio est, quia si sunt notabiliter negligentes contemnunt scientias, quibus studere debent, & ita sunt membrum Diaboli. *c. Nullus Episcopus.* d. 38, legendus est P. De Peyrinis.

Nota secundò, quòd studere diebus festis in honorem Dei, & Sanctorum nullum committitur peccatum ita Abbas *in c. Omnes dies de Ferijs, num.* 4. & P. De Peyrinis *lo. cit. Vers. Dico octauò.* & Ratio est, quia studere opus seruile non est, quod tantùm interdicitur *in c. Licet tam de ferijs.* Duæ tamen conditiones seruari debent, prima, quòd principaliter studium non fiat intuitu lucri, quamuis minus principaliter intendatur lucrum; at intuitu illuminationis proprij ingenij, & aliorum: secunda est, quòd studens debitis horis assistere tenetur diuinis: ita P. de Peyrinis lo. cit. An autem Magistri, qui legunt in diebus festis peccent mortaliter, dubium graue est; Abbas, & P. De Peyrinis locis citatis tenent, quòd Doctores legentes principaliter propter salarium peccant; vnde ex his colligitur, quòd si Doctores minus principaliter intendat lucrum in legendo, à culpa excusantur. Si verò sermo est de Magistris Religiosis, qui in legendo nullum habent lucrum putarem immunes omnino esse à peccato mortali; licèt obstet consuetudo in contrarium, quæ non vi-

Digitized by Google

detur introducta cum tanta obligatione:& in facti contingentia Compluti in die festo ego met vidi Nostrum P. Ildelfonsum Herrera (Cuius auctoritas magna est in Curia Catholica) Dominica quarta Quadragesimę legentem. Non excusarem tamen à culpa veniali propter consuetudinem, modò nulla reperiatur rationabile motiuum,& sæpe non fiat in diebus festis talis lectura. his notatis.

Variæ regulæ tradi possunt, ad hoc vt studium bene, vt fas est succedat, quas ego Messanæ impressi in Methodo rectè studendi dicata per illustri D. Francisco Patti tunc Logicæ Candidato: quarum prima est, vt studentes teneantur studium ordinare ad Maiorem Dei gloriam assumendo patrocinium, & tutelam alicuius Sancti, & præcipuè illorum, qui numerantur inter scriptores Ecclesiasticos, vt S. Franciscus à Paula, qui, vt dicunt Possevinus in Apparatu sacro; & P. De Peyrinis tomo 2. priuileg. constitut. 2. Clementis VIII. §. 10. num. 24. inter Scriptores Ecclesiasticos reponitur; & bene, nam quatuor regulas pro Fratribus, vnam pro Sororibus, & alteram pro Tertiarijs vtriusque sexus, Correctorium, & Ceremoniale conscripsit; & Doctores Sorbonicis ipsum interrogantes de difficillimis Sacræ Theologiæ difficultatibus, quas non intelligebat, illuminauit; & ita de facto repositus est inter Scriptores Ecclesiasticos; & in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanen.& in Bibliotheca Genuensi Collegij Iesu Mariæ Minimorum: vel S. Thomas Aquinas, vel S. Bonauentura, vel alij.

Secunda est, quòd studentes animum seruare debent liberum à malis passionibus, nam vt habetur ex sacro textu *in Maleuolam animam non intrabit sapientia*; & Noster P. Isidorus à Messana suis discipulis dicere solebat, quòd si intrabit, non permanebit, & si permanebit

nebit erit causa damnationis.

Tertia est, vt habeat ea, quæ ad studentibus exigit quidam sapiens apud Hugonem relatum à P. de Peyrinis *lo. cit. Relig. Vers. Circa disciplinam*, scilicet Mentem humilem, studium quærendi, vitam quietam, scrutinium tacitum, paupertatem; & habitet in terra aliena, quę omnia reserare solent aliquot obscura studenti, & ex Boetio cap. 2. de Scholarium disciplina refert P. de Peyrinis hanc sententiam aureis characteribus imprimendam. *Qui se non nouit subiici, non noscat se magistrari: miserum est enim, eum fore Magistrum, qui nunquam se nouit esse discipulum: Debet autem discipuli subiectio in tribus consistere, scilicet in attētione, beneuolentia, & docilitate: Attentus, inquam* esercitio, *docilis ingenio, beneuolus animo. Attentus,* inquam, *ad audiendum, docilis ad intelligendum, beneuolus ad retinendum*. & P. de Peyrinis addit, quòd licèt tria hæc attentio, ueneuolentia, & docilitas discipulum magistro subijciunt; nihilominus amor addiscendi maiorem habet efficaciam ad discipuli submissionem, quia per talem amorem corda studentium ad doctrinam percipiendam fortiùs alliciuntur, qui amor ex eodem P. de Peyrinis ex tribus, constare potest, tum ex Magistri cordiali charitate, nam amore intimo discipuli doctrinæ credibiliores redduntur in ipso; & hic amor situs est in timore, & reuerentia, erga Magistrum: tum ex fructus adeptione, quem quotidie recipere se sentit auditor, ex quo ad disciplinam allicitur, tum ex naturali appetitu scientias addiscendi. Legendus est P. de Peyrinis.

Quarta est, vt libenter scribat doctrinas Magistri, nam nemo est, qui non experitur scriptorum vberrimos fructus, vnde Caietanus dicere de se solebat hoc dictum *Circulus, & calamus fecerunt me doctum*, &

Digitized by Google

Viri docti meliorem partem acquisitæ doctrinæ tribuisse scriptis; & nescio quis dixit, & bene, quòd bonus iudex est calamus, num Scholasticus distinctè nouerit, quæ illi videtur percepisse, Auditor ergo in primis scribere debet dictata Magistri; secundò, quæ speculationi attribuit, calamo examinanda committere debet; tertiò libellum in promptu habeat, in quo debet annotare grauiores difficultates, quæ ipsi vel à se ipso, vel ab alijs excogitatæ occurrunt. Tandem conficere debet compendium scriptorum Magistri ad memoriam consulendam; de modo autem conficiendi compendium nihil certi hic statuere possum, nam quilibet eo modo sibi illud conficiet, quo videbit sibi fore vtilius. Iudicant aliqui graues Magistri, quòd aptus erit modus sequens, nimirum, si absoluta controuersia, & disceptationibus euentilata primo loco ponat studens cõclusionem cum vno, vel altero argumento ad illam confirmandam ex principalioribus; & postea ponat vnum, vel alterum argumentum aduersariorum; & tãdem solutionem huius argumenti.

Quinta est, vt studens primo loco legat totam lectionem; secundò iterum illam legat, & errores emendet; tertiò speculationi, & meditationi lectionum attendere debeat; si enim Scholasticus multùm legit, parum autem meditetur, dicetur similis illi, qui multùm manducat, sed malè digerit. Modus autem legendi lectiones erit, vt attentè legat illas, & caueat, ne absoluendi libidine, ab illa lectione nullum acquirat fructum. Circa meditationem, seu potius speculationem certa regula dari non potest; siquidem, sicut varia sunt Scholasticorum ingenia, ita varium habent meditandi modum, nihilominus obseruari posset sequens traditus à viris grauibus, & doctis. Et in primis Scholasticus postquam cognoscit se bene tenere Magistri opinio-

nionem vnà cum argumentis ad illam confirmandam, nec non, & aduersariorum obiectiones: tunc incipiat probè examinare omnes, & singulas argumentorum propositiones, num veræ sint, resoluendo, quantum potest illas ad principia notissima: & cum resolui nequeunt, aut non adhærent cum alijs, tunc signum erit argumentum illud factum ex huiusmodi propositionibus esse debile. Secundò scholasticus tenetur esse valde inclinatus, dum saltem studet, ad defendendas Magistri opiniones, à quo veritatem doctrinarum inuestigare debet, vt cognita natura, & essentia rei, tollatur omnis difficultas iuxta illud S. Thomæ dicentis. *Scita quòd quid est, tolluntur omnes æquiuocationes*. Tertiò Scholasticus separare debet vel mente, vel scripto certa ab incertis, vt ne confundatur ab exteris. Quartò quicquid probare, aut impugnare vult, semper syllogismo, quantum fieri potest, utatur, & ideo, ad hoc vt promptus sit semper summulas præ manibus habere debet iuxta præceptum grauium Doctorum, & exemplum grauissimorum virorum, vt patebit. Quinto, qui tardus est, & in declarandis animi speculationibus difficultatem patitur, voce depromat in suo cubiculo, quæ mentem concepit, veluti si cum alio ageret, & res remotas à sensibus exemplis illustret. Tandem, quilibet in animo habeat, & sibi persuadeat disceptationem esse studiorum animam, ita vt absque illa studium esset penitus mortuum; atque adeò bene Caietanus de se ipso dicebat. *Circulus, & calamus fecerunt me doctum*, & per circulum disceptationem intelligit. Qui igitur proficere vult, intersit, quàm potest sapientissimè, aliorum disputationibus: si quidem lapis quo cultri ingeniorum ad veritatem inuestigandam acuuntur, est disceptatio: & semper viros doctos attentè audiat; nam mirabile est, quantum viua vox adiuuet, ad res altius

in

in animis imprimendas; adeò vt non pauci, & ex antiquis, & ex recētioribus Sapientissimi Viri longas arripuerint peregrinationes, vt magni nominis Viros audirent, & pro veteribus legendus est Laertius in Vitis Philosophorum,

Oratio præmittenda ante Studium

Affertur à P. De Peyrinis in Formulario Prel. Regul. litera S. cap. 5. §. 1. num. 1.

IESV dulcissime, da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Illumina cor meum, vt sciam, velim, & faciam, quod acceptum coram te sit omni tempore. Doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ intellectum meum illuminet, cor meum purificet, & affectum meum inflammet, ad cognoscendum, & amandum te Dominum Deum meum in omnibus, & super omnia. R. Amen.

SECTIO TERTIA

Quæ methodus seruandus sit in compositione.

QVæres primò, quid sit Methodus. Alexander apud Simplicium tex. 1. lib. 1. physic. ita describit Methodum, *Est habitus speculatiuus eorum, quæ ad ipsum attinent cum ratione, idest, cum causa*: & vt Sim-

Simplicius exponit *Est processus ad cognoscibile cum quadam via rectè, riteque ordinata:* & sensus est, quòd Methodus, quam Simplicius vocat cognitionem scientiarum, sit circa omnes doctrinas, quæ quadam breui via, ac ratione traduntur. At Latini describunt Methodum, quod *sit breuis via:* Sed placet nobis definitio, quam Graues Auctores tradunt *Methodus est eorum, quę in disciplina traduntur apta dispositio secundùm prius, & posterius:* hoc est, dispositio, & coordinatio dubiorum, controuersiarum; ac cæterorum omnium, quæ in tali facultate discutiuntur, ut aliqua prius, aliqua posterius ponantur secundùm ipsarum rerum exigentiam.

Hinc habes, quòd hæc descriptio Methodi non differt ab ea, quam alij tradunt ex Cicerone dicentes esse quamdam rationem facilem rerum tradendarum in aliqua scientia: vel Ordinem secundùm prius, & posterius distinctè, & facilè explicandi, quæ in aliqua disciplina continentur, ita vt omnia ordinatè, & suo loco collocentur.

Quæres secundò qualis debeat esse via procedendi, & tradendi doctrinam. Respondetur cum Aristotele lib. 1. physic. in proemio vbi à communioribus incipiendum esse, ait, quod idem affirmat lib. 1. de partibus cap. 1. & 4. quo in loco acturus de partibus animalium prius dicit tractandum esse de vniuersalibus, & communibus, postea de differentijs animalium *efficitur*, ait, *profectò vt vniuersalia explicare prius, vel idem sæpius dicere necesse sit*. Et deinde *efficitur*, ait, *sanè vt & seorsum referre de singulis, & sub absurdum sit, & prolixum*. Vnde non extabit particularis ratio in quauis facultate prius tractandum est de communioribus, postea de particularibus ob rationem Aristotelis.

Quæres tertiò, quænam methodus seruanda sit in

quæstionibus componendis. Respondetur, quòd cum quælibet controuersia tota sit, & in probandis proprijs ipsius Magistri, & in alienis confutandis, ideo duplex obseruari solet ab Auctoribus methodus: vna, vt aliena prius afferantur, postea propria; altera, vt prius propria, postea aliena: & vnam, & alteram methodum obseruauit Philosophus: primam lib. 1. physic. vbi prius affert, & confutat aliorum placita de principijs rerum naturalium. postea refert suam: secundam autem obseruauit lib. 3. physic. sum. 1. cap, 2. vbi prius suam affert motus definitionem, postea Veterum Philosophorum. Ego ferè semper secundam obseruabam hoc modo prius proponebam Doctorum sententias, & postea quid mihi probaretur, quod etiam confirmabam, tandem obiectionibus satisfaciebam. Ratio erat, quia nullus esse potest iudex, nisi auditis partibus. Seruet Auctor, vt in afferendis rationibus & sententijs aliorum sit fidelissimus; & ne sit nimis prolixus, & minutus.

Quæres quartò, An Auctor sequi debeat Opinionem sui Magistri. Nota, quòd discipulus dicitur filius Magistri, vt habent S. Basil. in psal. 33. super illa verba *Venite filij audite me*, & S. Thomas lect. 4. in c. 5. epist. ad Ephes., & facit l. 1. C. de excusat. artific. lib. 12. vbi Penna: & discipulus in causa Magistri testis esse non potest, quando est sub eius ferula, Barbosa *c. in literis, de test. & attest. num. 19.* Discipulus, qui fuit, vel est, non est testis omni exceptione maior pro Magistro, Monticellus de testib. lit. D. in repertorio tomo 4. tract. fol. 242. Certum est apud Omnes, vt ait Possevinus de Offic. Curati, quòd Opinio proprij Magistri, etiamsi nullius sit Doctoris facit opinionem probabilem, quam discipulus tuta conscientia potest sequi. Item Legistæ dicunt; quòd Iudex sequendo opinionem Magistri proprij, licèt veritatem non assequatur in sindica-

dicatur non potest puniri,& condemnari.
Nulla etiam est necessitas in Philosophicis,& Theologicis controuersijs, præsertim quod Auctor opinioné sui Magistri teneat. Sed ego propter gratitudinem quòd meis Magistris debeo vsque adhuc ex Dei gratia mordicus defendi opiniones meorum Magistrorum. Legendus est P. de Peyrinis in Formul. Prӕl. Regul. vbi de Lectoribus.

SECTIO QVARTA
De Varijs distinctionum generibus.

NOn parum facit ad Philosophiam, necnon etiam ad Theologiam cognitio distinctionum generũ: & quoniam Philosophi nullum commodum habent locum de his tractandis, placuit mihi illorum placitum, qui hic tractant de distinctionibus.

Quæres igitur primò quid, & quotuplex sit distinctio. Distinctio est separatio vnius ab alio: Et primò diuiditur in realem, & rationis. Realis est, qua duo à parte rei separantur, hoc est, tunc est realis distinctio quoties versatur inter duo quorum vnum à parte rei nõ est aliud. Distinctio rationis est,quæ versatur inter ea, quæ cum à parte rei sint idem; intelliguntur tamen ab intellectu,vt plures.

Quæres secundò quotuplex est distinctio realis. Duplex,negatiua vna,positiua altera. Prima est,quæ versatur inter ens, & non ens, vt inter Petrum,& cæcitaté, aut inter duo non entia,vt inter cæcitatem,& surditaté, vnde vocatur realis non ex eò, quòd extrema sint aliquid reale; aut quia ex parte alicuius sit aliqua relatio realis: at ex eò, quòd inter illa verificatur à parte rei propositio negatiua: aut secundùm alios, & quidem probabiliter, quia ita vnum non est aliud, quòd si possent res essent realiter distinguerentur. Secunda est,

quæ

quæ à parte rei versatur inter duo entia realia; & hæc subdiuiditur in distinctionem rei à re, & distinctionem modalem; hæc est, quæ versatur inter rem, & modum, vt inter naturam, & subsistentiam; ad quam etiam reuocatur, quæ versatur inter duos modos, vt inter vnionem, & subsistentiam. Illa est, quę versatur inter duas res; & hic nomine rei sumitur res, vt distinguitur contra modum, Nomine verò modi intelligunt Philosophi minimã quãdam entitatem vltimò determinantem subiectum, quæ nequit esse absque tali subiecto, vt potest subiectum esse sinè illa, vt est sedens, & sessio. Placet alijs, quòd modus nihil aliud sit, quàm res ità se habens, vt curuitas in linea.

Quæres tertiò, an detur alia distinctio realis. Datur, vna dicitur accidentalis, altera essentialis. Accidentalis est, quæ causatur per principium accidentale, qua ratione distinguitur homo albus ab homine nigro: & ad hanc distinctionem reuocatur distinctio numerica rerũ materialium; nam differentia numerica per quam indiuidua eiusdem speciei differunt, licèt sit quid substantiale, nihilominus est extra essentiam eorum. Essentialis est, quæ causatur per principium essentiale; qua ratione distinguntur res diuersi generis, aut speciei; & ad hanc reuocatur distinctio numerica Angelorum, vt volunt Theologi.

Quęres quartò, An sit alia distinctio realis. Affirmo, est distinctio includentis ab incluso, & versatur inter totum, & partem, qua ratione totum corpus distinguitur à capite, nam corpus continet caput, & superaddit aliquid aliud, vt patet; & realis vocatur ratione extremorum, inter quæ versari dicitur.

Quæres quintò, quotuplex est distinctio rationis. Duplex, distinctio rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis. Illa ita dicitur, nam quamuis ab intellectu,

seu à ratione efficiatur inter illa, quæ à parte rei sunt idem; nihilominus habent fundamentum in rebus, vt eas ità distinguat, & separet, vt cum intellectus distinguit in essentia hominis principium sentiendi, & ratiociuandi ex varijs operationibus, quas videt in homine. Hæc est, quæ ex sola intellectus operatione resultat nullo in ipsis rebus præcedenti fundamento: & efficitur, aut per aliquam disiunctionem eiusdem à seipso V. G. cum asserimus *plato est plato*, aut per identitatem ad seipsum, vt cum illum intelligimus, vt idem sibi ipsi: aut alijs similibus modis.

Quæres sextò, An ad distinctionem rationis reducatur distinctio formalis. Ita est, nam Philosophi distinctionem rationis (& maximè rationis ratiocinatæ, de qua est vsus in scientijs) sæpius vocant distinctionē formalem; quo etiam vocabulo multoties vocatur distinctio essentialis nam desumitur à forma: vnde hoc nomen distinctionis formalis, vt communiter habent DD. æquiuocum est; nihilominus cognoscitur ex subiecta materia, cum supponat pro vna, & cum pro altera, vt euenit in alijs æquiuocis.

Quæres septimò, An vltra distinctionem realem, & rationis detur aliqua distinctio actualis media, quæ sit minor distinctione reali, & maior distinctione rationis. Affirmat Scotus *in 1, d. 2. q. 7. & in 2. d. 3. q. 1.* vbi eam vocat distinctionem actualem ex natura rei. Negant verò cõmuniter Omnes alij Philosophi, & Theologi, cum quibus sentiendum est: pro intelligentia autem.

Nota, quòd distinctio realis duplicitet accipitur, primò pro distinctione rei à re, de qua dicebamus supra, nam hoc propriè significat verbum *realis*, vt patet ex eius ethymologia: & hoc modo modalis distinctio potest congruè vocari distinctio media inter realem propriè

priè dictam, & rationis; secundò accipitur pro distinctione actuali ante intellectum, vt includit realem propriè dictam, & modalem, & contradistinguitur à distinctione rationis; & ita vocatur media per Scotum. hoc notato.

Probatur sententia negatiua, quia diuisio distinctionis in realem, & rationis datur per differentias, quarũ vna continet negationem alterius, ratione cuius opponuntur contradictoriè, igitur repugnat alia distinctio media inter illas, nam inter contradictoriè opposita nullum fingi potest medium, vt patet: antecedens probatur, nam distinctio realis, seu ante intellectum est distinctio, & non ab intellectu; & distinctio rationis est distinctio ab intellectu, igitur distinctio realis, & rationis æquiualent distinctioni non ab intellectu, & distinctioni ab intellectu, quæ contradictoriè opponuntur. Adde, quòd distinctio, quemadmodum & vnitas consequuntur rationem entis; igitur vt repugnat, quòd detur ens, quod non sit reale, vel rationis; aut vnitas, quæ non sit à parte rei, vel per intellectum: sic quoque implicabit, quòd detur aliqua distinctio, quæ non comprætendatur sub distinctione reali, aut rationis.

Obijcies, quia quæ distinguuntur definitione distinguuntur ante intellectum: at plura distinguuntur definitione, quæ non destinguuntur realiter, vt de actione, & passione ait Philosophus in v. phisic. & de relatione, & fundamento docent Graues DD. igitur dari debet distinctio, quæ sit ante opus intellectus, & non sit realis: minor, & consequentia huius argumenti patent: maior verò probatur. nam quæ distinguntur definitione, etiã nullo intellectu cogitante habent quamplures essentias vnde distinguuntur ante opus intellectus.

Respondetur distinguendo maiorem, si definitio detur quatenus est in se à parte rei. concedo maiorem

rem, nam ex eò quòd definitio hominis explicat naturam eius secundùm quòd in se est à parte rei: & definitio equi similiter; propterea bene infertur; quòd si distinguuntur definitione, distinguuntur antè opus intellectus: At si definitio detur de re secundùm quod intellectus eam ita, aut ita sumit, & nego maiorem & per hæc patet ad obiectionem de actione, passione, & relatione disputatur in Philosophia, ideo nihil hic.

Quæres octauò quodnam sit signum distinctionis realis. Respondent omnes DD. illa distingui realiter, quæ possunt separari, ita vt vnum possit esse sinè altero, & è contrà: vnde fit, vt cum vnum realiter aduenit altero iam existente; vel perit realiter altero remanente sit optimum signum distinctionis realis, & hoc expressè voluit Arist. *lib. 7. phy. cap.1.* asserens *Amplius si potest alterum sinè altero esse, non erit idem &c.* verùm Complutenses, licèt hanc regulam veram dicant, tamen dicunt non esse adæquatum indicium distinctionis realis; quia non conuertitur; nam verum quidem est omnia, quæ realiter possunt separari realiter distingui; non tamen è contra omnia, quę realiter distinguũtur posse separari: vt patet de personis diuinis, quæ licèt realiter distinguantur; vna tamen non potest esse sinè alia: & de multis accidentibus, quæ realiter distinguntur à subiecto, & tamẽ tenent plures Graues Doctores nõ posse ab illo separari: & in materia prima, quæ licèt realiter distinguatur à forma, tamen per Thomistas nõ potest etiam diuinitus separari à forma. Sed Complutenses falsi sunt, nam illa propositio intelligitur increatis: & nullum est accidens, quòd realiter distinguatur à subiecto, & non potest saltem diuinitus separari à subiecto; & Grauissimi Philosophi concedunt materiã diuinitus posse separari à forma: restat igitur regulam illam esse adæquatum indicium distinctionis realis.

SECTIO VLTIMA
Explicantur quidam modi loquendi, seu distinctiones, quibus vtuntur Philosophi, & alij.

DIfficillimum est coadunare terminos, seu modos loquendi, seu distinctiones, quibus vtuntur Philosophi in concertationibus, primò, quia quamplures spectant ad proprias materias; secundò, quia non eadem ratione ab omnibus vsurpantur; attamen adducemus hic frequentiores in Scholis.

Materialiter, & Formaliter. Primus terminus significat, quando prædicatũ quoddã competit alicui propter subiectũ, seu propter illud, quod se habet per modũ subiecti per comparationẽ ad materiã, quæ est aliquod indeterminatum, & perfectibile, quomodo dici potest *album est dulce*, hoc est, subiectum albedinis, v. g. lac est subiectum dulcedinis. Secundus terminus significat, cum prædicatum quoddam competit alicui propter formam, seu propter illud, quod se habet per modum formæ per comparationem ad formam, seu figuram, quę perficit materiam, v. g. si dicet aliquis *Album disgregat visum* accipitur *album* in hac significatione formali, hoc est, subiectum disgregat visum ratione albedinis. His quoque terminis vtuntur Doctores in rebus, quæ non constant ex subiecto, & forma distinctis, at ex perfectionibus nostro modo intelligendi distinctis, quæ comparari queunt ad inuicem, vt perfectibile ad perfectiuum, seu vt aliquod commune, & aliquod proprium; vt homo ratione animalitatis dicitur constitui *materialiter*, ratione rationalitatis *formaliter*. Idem ferè significant hi termini *reduplicatiuè*, & *specificatiuè*, & primum dicitur, cum aliquid competit subie-

cto

eto ratione alicuius formæ, & ad hoc significandum vtuntur Philosophi particulis *in quantum*, *quatenus*, *prout &c.* vt cum asserimus *Plato pro vt homo est rationalis*, seu *inquantum animal est sensitiuus*, hoc est, propter animalitatem tamquam formam. Secundum dicitur illud, quod materialiter (quod etiam dici solet *realiter*, & *identicè*) coniungitur cum ratione formali, quæ est ratio prædicandi. v. g. *album est dulce* intelligitur specificatiuè, seu materialiter, realiter, & identicè; non formaliter, & reduplicatiuè. Idem quasi significant hæ voces *in sensu diuiso*, & *in sensu composito*, nam hæc correspondet termino *reduplicatiuè*, illa *specificatiuè*.

Formaliter, & efficienter: Si. v. g. dicet aliquis *Calor facit formaliter calidum*; tunc idē significaret, quòd calor per suam entitatem efficiendo, & informando subiectum facit calidum, & hoc significat terminus *formaliter*. At terminus *Efficienter*. v. g. Ignis facit manum calidam, non per positionem suæ entitatis in manu, sed per productionem caloris à se distincti in ipsa manu.

Virtualiter, Eminenter, & Formaliter. Primus terminus significat, cum aliquod prædicatū cōpetit alicui non propter aliquam formā, sed propter aliquā virtutē producēdi illud, quod prædicatur, v.g. *Sol dicitur calidus virtualiter*, nō quòd in se habeat formā caloris, sed quòd habeat virtutem producendi calorem. Secundus terminus significat continentiam effectus cum excessu perfectionis, qua ratione dicitur quoque causa æquiuoca producens effectum diuersæ rationis à se; vt vniuoca, quæ producit effectum similem. Et æquiuoca, si est perfectior effectu dicitur eminentialis: V. G. Sol in ordine ad calorem, & Deus in ordine ad Creaturas: at si est imperfectior absolutè vocatur æquiuoca V. G.

intellectus in ordine adui sionem beatificam, cum intellectus dicatur instrumentum, hoc est, agens per virtutem acceptam ab alio; ad discrimen principalis, quæ agit per propriâ virtutem. Tertius terminus competit causę vniuocæ, quæ includit eamdem formam eiusdem perfectionis, quæ est in effectu à se producto V.G. *ignis formaliter est calidus*.

In actu signato, & in actu exercito. Prima vox est, quando denotatur significatio termini; secũda est, quando sumitur pro exercitio significationis eiusdem termini, V.G. cum definitur diuisio tunc sumitur diuisio in actu signato; cum verò diuiditur quoddam totum tunc sumitur diuisio in actu exercito.

Actu, & potentia Res dicitur esse actu, cum simpliciter est, quia non actu est, quod simpliciter non est. In potentia dicitur res esse cum absolutè nõ est, sed potest esse, vnde creaturæ possibiles dicuntur ab æterno esse, cum verè non sint æternæ, quia verè non sunt, dicuntur tamen potentia esse. Nota hic, quòd id, quod est, dici potest etiam habere potentiam ad essendum, quia tunc præsertim aliquid potest esse, quando est: sed communiter potentia solet sumi cum carentia actus.

Idẽ ferè significatur his terminis *Virtualiter, & formaliter*; & primum dicitur illud, quod continetur intrà virtutem suæ causæ, hoc est, nondum est à sua causa productum; At secundum est, quod iam habet esse in se extra uirtutem suæ causę.

Notum seu *notius secundùm naturam, & secundùm nos*. Primum dicitur, quod est ens perfectius secundùm se. Secundum est, quod est magis sensibile, & perceptibile à nobis.

Absolutè, seu *simpliciter & respectiuè* seu *comparatiuè*, V.G. quidam homo dici potest magnus absolutè, & simpliciter: nec non etiam magnus respectiuè, seu

com-

comparatiuè in ordine ad non magnum: V.G. homo respectu montis dicitur formica, & respectu formicæ dicitur Gigas, cum tamen nec Mons, nec formica simpliciter sit etiam in magnitudine, & paruitate: vnde *respectiuè* dicitur illud, quod, licèt in se non habeat aliquod prædicatum; si tamen comparetur ad alterum, illud videtur habere, cum *absolutè*, & *simpliciter* dicatur res, quando verè, & propriè conuenit esse aliquod illi rei.

per se, & per accidens: Primum significat, cum subiectum competit prædicato ex principijs intrinsecis suæ naturæ, & non ex aliquo accidenti; vt homo per se dicitur substantia, & corporeus. Et per accidens dicitur illud, quod accidentale est & vel à casu, vel fortuitò competit alicui: & ita homo dicitur per accidens albus, musicus, ambulare et dicitur per accidēs, tristari &c. In causis etiam, *per accidens* illa dicitur sinè qua effectus poterat esse.

Vt quod, & vt quo. Primum est, cum quoddam alicui competit per se, & non in ordine ad aliud. Secundum est, quando aliquod est medium in ordine ad alterum, seu est ratio faciens tale, vt tale: V. G. materia dicitur vniri vt *quod*, at vnio vt *quo*, Intellectus intelligit vt *quod*, & intellectio vt *quo*: effectus producitur vt *quod*, & actio vt *quo* &c. At interdum terminus *quod* accipitur *materialiter*, & terminus *quo* sumitur *formaliter*: V. G. Columna videtur, vt *quod*, albedo vt *quo*, hoc est, albedo est forma, seu ratio formalis, quarè pari es dicatur videri: isti duo termini vt *quod*, & vt *quo* habent alias significationes, quæ ex vsu non difficulter edocentur.

Positiuè, & negatiuè. Primò dicitur res esse talis, cum in illa ponitur aliqua forma, à qua sic denominatur, qua ratione homo dicitur positiuè rationalis, &

positiuè

positiuè studiosus à virtute. Secundò dicitur res, cum caret forma contrariam denominationem tribuente, vt homo non vitiosus dicitur negatiuè bonus, quia non est malus;& homo abstractus per intellectum à singularibus dicitur negatiuè vnus, quatenus non est plures prout repræsentantur in illo conceptu; & dicitur negatiuè incorruptibilis, quatenùs in communi spectatus corruptibilis non est.

Simpliciter, & *secundùm quid*. Primum explicatum est. Secundum est, pro vt opponitur *simpliciter*, vnde res dicitur *secundùm quid* talis pro vt impropriè, & methaphoricè tale esse participat: V. G. homo pictus dicitur homo *secundùm quid*; & manus abscissa dicitur integra *secundùm quid* in ratione manus, vel partis: *absolutè* tamen, *& simpliciter* dicitur res incompleta, quia tantùm habet ex natura sua, quòd sit pars corporis, non verò aliquod totum.

In Recto, & *in Obliquo*. Grammatici rectum vocant nominatiuum, reliquos verò casus obliquos. Cum itaque res aliqua duos habet conceptus, quorum vnus explicatur in nominatiuo, alter in alio casu cum verbo substantiuo, primo modo dicitur poni *in recto*, secundo modo *in obliquo*, V. G. scientia dicitur ordo ad obiectum, & ex consequenti importare ordinem *in recto*; & obiectum *in obliquo*, quia ordo significatur in nominatiuo, & obiectum in accusatiuo: Amor dicitur appetitio boni, & propterea appetitionē significat *in recto* & bonum dicit *in obliquo*.

Implicitè, Et *explicitè*, Seu *Confusè*, & *distinctè*: Et primum est, quando aliquid sic intelligimus, vt nesciamus asignare rationem de perfectionibus illius, seu contentis in illo, V. g quando intelligo hominem sinè eo, quòd sciam naturam illius: seu quando intelligo animal sinè eo, quòd sciam species sub ipso inclusas.

ſas. Secundum eſt, quando aliquod ſic intelligimus, vt cognoſcamus aſsignare rationem perfectionum illius, & eorum, quę ſub illo includuntur, vt in adductis exemplis de homine ſi cognoſcerem aſsignare rationem de perfectionibus eiuſdem: & intelligendo animal ſcirem ſingulas ſpecies ſub illo comprehenſas: & hæc ſatis ſint dicta de his terminis.

Monitum te facio (*Amice Lector*) quòd Summularũ vſus nõ eſt ſolùm Nouitijs ad ſcientias ſpeculatiuas docendas neceſſarius, vt ſunt incipientes Logicę: Candidati verũ quoq; illis, qui in ſcientijs validos habuerũt progreſſus: quandoquidem Sotus iam ſenex, & Bannes ſeptuagenarius Summulas componere non erubuerunt, & tamen fuerunt Sotus, & Bannes Viri eruditiſsimi, & Doctiſsimi Ordinis Prædicatorum: & ex Societate Ieſu Gabriel Vaſquez ingenioſiſsimus Theologus ſummulas Villalpandi præmanibus habere conſueuit, tum pręſertim, cum grauiſsimas Sacræ Theologiæ difficultates explicabat: hoc ipſum audiui de alijs Sacræ Theologiæ Lectoribus, & quidem Illuſtribus eiuſdem Societatis in Regno Siciliæ: hoc idem faciebat Magiſter meus P. Iſidorus à Meſſana; qui Philoſophiam, & Theologiã per multos annos ſummo cum honore docuit Meſſanę, & hic Pater, cum eſſet Prouincialis, & in promptu non haberet ſummulas, vocauit adoleſcentem Hiacinthum Follini, qui tunc audiebat Summulas, vt explicaret nõnullos terminos circa ſuppoſitionem, explicatis terminis illum ſtudentem coram omnibus vocauit Magiſtrum ſuum, *O Humilitas religioſa.*

Finis Appendicis.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad usum
F. Laurentij
Raynerij
à
Consentia
anno Iubilij
1659
Romae

BIBLIOTECA